

06

A

996





DISSERTATIO THEOLOGICA
De
IUSTIFICANTIS
FIDEI FORMA ET
NATURA.

*Sub auspicijs Sacrosanctæ Trinitatis in inclytâ
Vittebergâ, ad piam collationem
publicè proposita.*

à
BALTHASARE MEISNERO SS.
Theolog. D. & Professore Publico,

RESPONDENTE
M. HIERONYMO WEIXELBERGERO
Welfensi Austriaco, Facultatis Philoso-
phicæ Adjuncto.

*Habebitur ad diem XIX. Septemb. in Auditorio ma-
jori horis à VII. matutinis.*

WITTEBERGÆ

Typis exscribebat JOHANNES GORMAN,
ANNO M. DC. XVII.



06 A 996


 DISSERTATIO
DE FORMA FIDEI
 JUSTIFICANTIS.

I.



Vemadmodum fide nulla vir-
 tus in se præstantior, Deo gratior, nobis
 utilior est: ita vix ulla magis per Satanæ
 fraudes hæcenus fuit impugnata. Statim
 ab exordio mundi, inter Cainum & Abe-
 lem orta est dissensio, quorum ille ope-
 ribus; hic fide justificari & placere Deo
 voluit, *Hebr. ii. v. 4.* Post mediam mundi

ætatem acriter ventilata est hæc ipsa controversia, dum Chri-
 stus & Apostoli urgebant fidem; Pharisei & falsi fratres bona
 opera fidei vel præferebant, vel tamen in actu salutis adjuncta
 volebant. Ultimo hoc mundi tempore, in quod nos reservati
 sumus, viget lis eadem, & statim sub initium reformationis Ev-
 angelicæ jam ante centum annos quæri coeptum est, *In quo con-*
sistat vera fides justificans, & quis ejus primarius sive finis sive effectus sit,
num sola & quomodo justificet?

*Certamina de
 fide justifi-
 cante.*

II.

Causæ hujus certaminis obscuræ esse possunt nemini. Sata
 ne nota est malitia, qui cum sciat, per solam fidem homines con-
 jungi Deo, & impetrare veniam, ante omnia hunc fontem gra-
 tiæ obstruendum esse autumat. *Doctoribus* annata est superbia,
 ut salutem magis in se, quam extra se quærendam doceant, un-
 de fit, ut operibus nimium tribuentes, in describendâ fidei na-
 turâ turpiter aberrant. *Auditores* plerumque securi sunt, & con-
 temnunt salutarem de fide doctrinam, ac si res parvi esset mo-
 menti, quâ de causâ immittitur erroris efficacia, ut credant men-

*Certaminum
 cause.*

deio, 2. Theff. 2. v. 17. & pro illo insuper dimicare incipiant. Sic ergo malitia Satanæ, doctorum fastus & auditorum securitas facit, ut de justificantis fidei nativâ indole, perpetuæ sint in Ecclesia dimicationes.

III.

Thema hujus
disputationis.

Cùm verò antehac à nobis actum sit, de fidei *appellatione*, *partibus*, *causâ efficiente*, *objecto* & *subjecto*: sequuntur nunc alia duo capita sub Disputationis incudem vocanda, quorum *prîus* est de *Formâ*: *posterius* de principali *Fine* sive effectu fidei. Ex illo discimus, *Quid fides sit*: ex hoc autem, *Quomodo prosit*. Ibi cognoscimus naturam fidei, ne erremus; *hic* spectandus proponitur usus, ne pereamus. *Illud* ad *ἱστορίαν*, *hoc* ad *πραξιὴν* Christianam pertinet. *Illud* præsentè disputatione expeditum dabimus, *hoc* ad tempus aliud reservatum volumus.

IV.

Cæterùm quia fides alia dicitur *historica* vel *generalis*; alia *salvifica* vel *specialis*, in primo statim limine monemus, quòd de *posteriori* tantùm à nobis quærat, Deinde vocabulum *formæ*, *hic* non pro forma informantè accipimus, sed in quadam latitudine pro principio constituyente. Quicquid enim fidei justificanti esse largitur, & eam ab aliis distinguit, id nos *formam* in scholis Theologicis nuncupamus.

V.

Partitio.

Ut autem distinctè procedatur, *quatuor* cum primis in considerationem veniunt.

1. *Quanam* vera fidei *salvificæ* forma sit?
2. *Quid* de *Papicolarum* fide *formata* statuendum?
3. *Num* detur aliqua fides *informis* vel à *charitate* separata?
4. *Quàm* absurdas & otiosas quæstiones *Scholastici* de *informi* *formataque* fide *formaverint*?

Horum *ζητημάτων* ambitu continetur omne id, quod de *formâ* fidei hisce temporibus inter nos & Pontificios disputari consuevit.

MEMBRUM I.

De genuinâ fidei justificantis formâ.

Quæ

VI.

Quia fides non justificat absolute, prout virtus est, sed rela-
 le, quatenus in Christi meritum fertur, hinc credimus, docemus
 & cōfitemur, quòd fidei salvificæ forma nō sit qualitas, aut opus
 quoddam, sed unice consistat in apprehensione & receptione gratiæ
 per Christum partæ & in Evangelio revelatæ. Sic enim habet Art. 4.
 Augustan. Conf. Ecclesie magno consensu apud nos docent, quòd homines
 non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed
 gratisificentur propter Christum per fidem (attende, jam forma fi-
 dei exprimitur) cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti pro-
 pter Christum, qui suâ morte pro nostris peccatis satisfecit. In Apologia
 Augustanæ Confessionis mihi, p. 68. ulterius id declaratur his
 verbis: *Fides quæ justificat, non est tantum notitia historię, sed est assen-
 tiri promissioni Dei, in qua gratis propter Christum offertur remissio pecca-
 torum & justificatio. Et ne quis suspicetur tantum notitiam esse, addemus
 amplius, est velle & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum &
 justificationis. Rursus p. 70. Quoties nos de fide loquimur, intelligi vo-
 lumus objectum, scilicet misericordiam promissam. Nam fides non ideo
 justificat aut salvat, quia ipsa sit opus per se dignum, sed tantum, quia acci-
 pit misericordiam promissam.*

Sententia
 nostrarum
 Ecclesiarum
 de forma fi-
 dei.

VII.

Doctrina hæc ex ipsis Scripturarum fontibus est hausta, quippe in quibus præter notitiam & assensum, qui actus mentis sunt, attribuuntur fidei & actus alij, qui cordis & voluntatis dicuntur.

Fides justi-
 ficans qua-
 tuor actus
 includit.

Nam salvifica fides 1. Quærit gratiam, appetit Salvato-
 rem, anxie desiderat, & quasi anhelat ad Christum, quò referri
 possunt dicta sequentia: Psal. 42. vers. 1. 2. *Vt cervus fontes aquarum,
 sic te, ô Deus, desiderat anima mea.* Esa. 26. v. 9. *Anima mea desideravit te
 in nocte.* Esa. 55. vers. 6. *Querite Dominum, dum inveniri potest.* A-
 mos 5. vers. 4. *Querite me & vivetis.* Matth. 5. vers. 16. *Beati qui
 esuriunt & sitiunt justitiam.*

A 3 2. Ad

2. Ad expetitum Redemptorem venit & accedit, quo refer. Isa. 55. v. 1. Omnes sitientes venite ad aquas. Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Ioh. 6. v. 35. Qui venit ad me non esuriet & qui credit in me non sitiet. Heb. 4. v. 16. Adeamus, cum fiducia thronum gratiae.

3. Post accessum statim apprehendit Christum & confidenter amplectitur, Ioh. 1. v. 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine ejus. 1. Tim. 1. v. 15. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in mundum, peccatores salvos facere.

4. Tandem omnia Christi merita sibi applicat & appropriat, hominemq; de remissione peccatorum certum facit, Gal. 3. v. 27. Quicumq; in Christum baptizati estis, Christum induistis. & c. 2. v. 20. Per fidem vivo filij DEI, qui dilexit me.

Hi actus, nempe desiderium, accessus & applicatio beneficiorum Christi, formam justificantis fidei proprie constituunt, quae uno vocabulo appellatur *πρόσδεγμα ἢ ληψοδοσία* hoc est, Christi apprehensio, aut receptio fiducialis. Et hac de causa dicitur, quod fides non habeat tantum oculos, quibus videat, sed & manus, quibus apprehendat gratiam.

IIX.

Sic igitur explicata nostrarum Ecclesiarum sententia, pro ejusdem confirmatione praecipua proferemus argumenta, quorum quatuor imprimis numerari possunt,

Probatur
formam fi-
dei justifi-
cantis esse
apprehensi-
onem.

IX.

1. A manifestis dictis, quibus fides per receptionem & apprehensionem describitur. Primarium extat Ioh. 1. v. 12. *οσοι δε ελαβον αυτον, εδωκεν αυτοις εξουσιαν τέκνα θεου γενέσθαι, τοις πιστεύουσιν εις τ' ονομα αυτου.* His verbis duo exprimuntur. 1. Natura & forma. 2. Virtus & efficacia fidei justificantis.

X.

Forma innuitur per verbum *λαμβάνειν*, quod significat accipere,

accipere, recipere aut apprehendere. Versu II. extat verbum παραλαμβάνειν, quod notat suscipere, (uti successor facit, qui provinciam accipit) amplecti donum per manus traditum, ad se sumere, quod præbetur; sibi adjungere, quod offertur. Ita Iosephus ad se recepit Mariam ex mandato Angeli, *Matth. I. vers. 20. cap. 2 v. 20.* Syrus τὸ λαμβάνειν & παραλαμβάνειν reddit hoc loco per לָקַח unde Cabala nuncupatur, quæ radix notat doctrinam divinitus revelatam discere, recipere & intelligere, unde Apostolus vocat sermonem dignum omni acceptione, *I. Timoth. I. vers. 15.* Versu 5. legitur verbum καταλαμβάνειν quod significat assequi & complecti, sicut tenebræ dicuntur hominem comprehendere, cum ijs involvitur, *Iohan. 12. v. 35.* Breviter, λαμβάνειν est simpliciter accipere, παραλαμβάνειν est recipere & sibi applicare, καταλαμβάνειν est arctè complecti & undiquaq; apprehendere. His ergò vocabulis fidem describit Apostolus, ad iudicandum, quòd non absolvatur solo assensu, sed potissimum consistat in divinæ gratiæ & beneficiorum Christi receptione fiduciali.

Nam τὸ recipere Christum ἐξηγητικῶς declarat per τὸ credere in nomen ejus, ut hinc colligamus, fidem formaliter nihil esse aliud, quàm Christi apprehensionem. Quæ omnia tam sunt perspicua, ut nec ipse Bellarminus negare ausus fuerit. Sic enim scribit lib. 2. de lib. arb. c. 3. *Recipere Deum hoc loco nihil aliud est, nisi credere, ut ibidem declaratur, cum subdit: His qui credunt in nomen ejus.* Et l. 1. de Justif. c. 15. fatetur, quòd credens credendo Christus recipiat.

XI.

Efficaciâ fidei Johannes indicat, quando υἱοθεσίαν nostram ex illa velut ex scaturigine quadam deducit. Christus enim dat potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus: quæ verba pessimè depravat Bellarminus l. 1. de justif. c. 13. scribens: *Sanctus Iohannes, cum ait, quotquot receperunt &c. aperte docuit eos, qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei, sed posse fieri, si pergant ulterius, ut etiam sperare & diligere incipiant.* Dilectio enim propriè filios Dei facit, ut patet ex I. Iohan. 2. Verùm universæ Scripturæ contrariatur, υἱοθεσίαν non provenire ex fide, & posse aliquos

aliquos credere, qui tamen non sint filij DEI. Rom. 8. v. 15. & 16. dicitur: *Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater, qui ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, quod simus filij DEI: Atque spiritum istum semper accipimus per fidem Galat. 3. vers. 26. Ergo & per fidem sumus filij Dei. Porro quicumque sunt in Christo, ij sunt Filii Dei, Eph. 1. v. 5. Omnes & soli credentes, per fidem sunt in Christo Gal. 3. v. 26. Eph. 3. vers. 17. Quare per fidem sunt filij Dei. Hinc Galat. 3. v. 7. dicitur: Qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrabe. V. 26. Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Fides igitur ratio est unica, per quam sumus filij Dei: dilectio vero, non causa, sed testis est nostrae *ὑποταξίας*, sicut dicitur Joh. 13. v. 25. Ex hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis alij in alios. Confer 1. Ioh. 4. v. 7. & seq.*

Totus vero error Jesuiticus dependet à pravâ expositione vocis *ἐξουσίας*, dedit eis potestatem, filios Dei fieri. Olim variè disputatum fuit de hac *ἐξουσία*. Quidam dixerunt, Christum facere nobis potestatem, ut si libuerit, viribus liberi arbitrii efficiamus nos filios Dei.

Theophylactus interpretatur de gloriosâ adoptione, quæ erit in novissimâ resurrectione. *Augustinus* solet exponere potestatem pro gratiâ fidei, datâ per Christum, ut possimus credere, atque ita fide filij Dei fieri. *Simplicius* autem est, inquit, *Chemnicus* in *Harm.* p. 83. part. 1. vocabulum *ἐξουσίας* rectè explicare. Significat enim, non tantum facultatem aliquid vel faciendi, vel acquirendi, verum etiam dignitatem, præminentiam, excellentiam, auctoritatem & jus aliquod. Ita Christus cum auctoritate loquens, dicitur *ἐξουσίας ἔχων* Matth. 7. v. 29. Et *Apoc.* 17. v. 13. dignitatem & jus suum dare alteri. *Apoc.* 18. distinctè ponitur *ἐξουσία καὶ δυνάμις*. Et Græci interpretes *ἡσυχ* reddiderunt *ἐξουσίας*: unde *Rom.* 13. vers. 1. & alibi sæpissimè pro eminentiâ dignitatis accipitur. Syrus *ἐξουσίας* reddit vocabulo *Sultam*, quod inde deducitur, quando quis in dignitate ac præminentia constituitur, dominationi præfectus. Sensus igitur est, quod illis, quibus jus hoc naturâ non competebar, Deus, si Christum recipiant, hanc conferat præminentiam, jus & dignitatem, ut credendo non tantum in familiam ejus adsciscantur, sed adoptentur etiam in filios Dei. *γενεσθαι* enim utrumq;

utrumque significat, & fieri & esse filios, quod fide fit. Apertè igitur ex hoc ipso textu probatur, non modò possibilitas, sed actus potiùs, nimirum, quòd omnes credentes, per fidem impetrent dignitatem illam, ut in filios Dei adoptentur.

XII.

Porro, uti *Iohan. 1. v. 12.* fides per receptionem describitur, sic & alia dantur testimonia, quæ idipsum insinuant, *Rom. 5. v. 11. Per Christum*, nempe fide apprehensum, *ἐλάβωμεν* accepimus reconciliationem, vers. 17. *Abundantiam gratiæ & justitiæ accipientes*, nimirum per fidem. *Galat. 3. v. 14. Ut promissionem Spiritus accipiamus* *Ἀπὸ τῆς πίστεως* per fidem, *Coloss. 2. vers. 6. ὅσα λαβετε*, accepistis Iesum Christum, fide scilicet. *Hebr. 4. v. 16. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ἵνα λάβωμεν ἔλεον*, ut misericordiam accipiamus. Quæ dicta omnia luculenter evincunt, quòd fides recipiat, applicet, apprehendat Christum, & in Christo gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam & salutem æternam.

XIII.

II. Ab objecto fidei justificantis. Hoc non est aliud quàm meritum Christi & singularis Dei gratia, quâ omnes credentes ob satisfactionem Filii sui se justificaturum promissit. At verò in illud fides nequit aliâ ratione ferri, quàm per apprehensionem & applicationem. Ut enim mendicus, si donum à divite porrectum debeat accipere, non tantùm assentitur, quòd verè & seriò donum divitis offeratur, sed manum insuper extendit, & munus apprehendit: Ita si promissæ & oblatae gratiæ reddi volumus participes, necessariò requiritur applicatio, quæ non nisi fidei assignari potest. Nam promissio & fides perpetua correlata sunt, unde Lutherus dicere fuit solitus: *Qualis est copulatio maris & foeminae in legitimo matrimonio, videlicet indissolubilis, talis quoq; fidei & promissionis est connexio.* Promissio est veluti manus porrigens: fides verò est manus apprehensiva. DEUS gratiam promittendo offert, nos oblatam credendo

B

appre-

apprehendimus. Ex quo spontè sequitur, quòd fides justificans non in nudo & generali assensu, sed potiùs in fiduciali beneficiorum receptione consistat. Gratia enim DEI & justitia in merito Christi oblata, vel planè non apprehenditur, quòd absurdum, siquidem ita nunquam fieret nostra, & per consequens, nec justificaremur; vel certò à nobis apprehenditur; quòd aut per fidem fit, unde concludo eam formaliter sitam esse in apprehensione; aut per instrumentum aliud, quale nullum hæcenus nominare potuerunt Pontificii.

XIV.

Ab eo, quòd fides est fiducia.

III. Ab omnibus iis argumentis, quibus probatur, fidem esse fiduciam. Nam Christo confidere, & in illo omnem fiduciam habere positam, quid aliud est, quàm ejus meritum sibi applicare? Probato igitur, quòd fides sit fiducia, ultrò sequitur, quòd sit meriti Christi apprehensio. At verò illud alibi probatum dedimus ab etymologia, à synonyma, ab interpretum testimonio, ab exegetica declaratione, à manifestis dictis, ex locis parallelis, à proprio fidei objecto, ab effectibus, à typicis & metaphoricis descriptionibus, ab exemplis, à precationibus, ab oppositis, ab auctoritate Patrum, & à confessione ipsorum adversariorum. Hinc ergò concludimus, quòd fides justificans apprehensionem meriti Christi unà includat. Et hanc ipsam fidei formam esse, probari deinceps facile potest. Forma enim est, per quam res est id, quòd est, & à rebus omnibus distinguitur: Atqui fides justificans, per apprehensionem Christi est fides justificans, & per eam à rebus aliis omnibus distinguitur. Quare apprehensio Christi, forma est justificantis fidei. Ex quibus potè patet, non immeritò distincta tractationis capita constitui, de partibus fidei & formâ fidei. Nam ibi tantùm hoc ostenditur, quòd fides non absolvatur solo assensu, sed unâ complectatur fiduciam: hic verò probatur, quòd fiducia vel fiducialis apprehensio sit ipsa forma fidei, quatenus justificationem ingreditur. Ibi fidem considero in se, quasnam partes habeat; hic relatè, per quid & quomodo justificet.

Tan.

Tandem IV. Ab absurdo. Si justificantis fidei essentia solo assensu absolvi dicitur, tunc hoc emergit *ἀτοπον*, quòd omnes Hypocritæ in verâ Ecclesiâ degentes & doctrinam orthodoxam profitentes, fide justificante præditi, & per consequens, justificati sint. Nam quicumque assensum præbent religioni veræ, ii juxta Pontificios nacti sunt fidem justificantem, quippè quæ nihil aliud, quàm assensus esse dicitur. At verò hypocritæ in verâ Ecclesia, imò & dæmones, *Jacobi 2, v. 19.* assensum præbent religioni veræ. Ergò hypocritæ, imò & dæmones nacti sunt fidem justificantem, quo quid absurdius? Qui enim credit in Filium, habet vitam æternam, *Iohan. 3, v. 36* fides salutis causa est, *Rom. 1, v. 17. Gal. 3, v. 22. 25. 30. 1. Pet. 1, v. 9.* per fidem regeneramur, *Coloss. 2, v. 12.* per fidem stamus & gloriamur, *Rom. 5, v. 2.* per fidem Diabolo resistimus, *1. Pet. 5, v. 8. 9.* & mundum superamus, *1. Iohan. 5, v. 4.* quæ hypocritis & dæmonibus attribuere velle, annon impium fuerit & blasphemum? Plura in re tam manifestâ non addimus, præsertim cum uberiores horum omnium *ἀποδείξειν* in Disputatione Inaugurali c. 3. proposuerimus.

MEMBRUM II.

De falsâ fidei formâ, quam fingunt Pontificij.

XVI.

Frequens est in scholis Romanensium distinctio inter fidem informem & formatam. Informem dicunt eam, cui non assistit caritas, sed quæ solo nudoque assensu absolvitur. Formata fides informis est, quæ charitatem adjunctam habet, per quam veluti perfectiatur, ut Deo placere & hominem justificare possit. Ita matam. enim distinctionem illam explicat Pererius in Genes. c. 15. v. 6. m. p. 533. *Diversitas est inter actum fidei informis, & actum fidei per cha-*

ritatem formatam. Ille namque fidei actus merè speculativus est, carens effectu & motu voluntatis per charitatem in Deum: hic autem conjunctus est cum voluntatis per dilectionem motu, & tendentia in Deum; ideoque est actus fidei vividus, perfectus, & meritum habens æternæ vitæ. Ad hanc igitur actuum utriusque fidei diversitatem expressius declarandam, placuit Theologis S. Augustinum sequentibus, actum informis fidei erga Deum, vocare, credere; actum verò fidei formatam, credere in Deum. Similia scribit Bernardinus Reagnolius, lib. 4. de discipl. Christianæ perfect. c. 4. m. pag. 261. Fides est duplex: Vna dicitur informis, ut est illa, que sine Dei gratia & charitate reperitur in peccatoribus: Altera formatam nominatur. Informatur autem Dei gratiâ & charitate: & ab Apostolo propterea per charitatem operari dicitur.

XVII.

In istum errorem gravissimum hac occasione prolabantur. Præsupponunt falsò, fidem esse tantum notitiam certam & assensum indubitatum. Subsumunt porrò, nullam notitiam justificare, nisi conjuncta sit cum habitu vel actu voluntatis; quod verissimum, siquidem notitia & assensus in impios quoque cadere potest, qui tamen non justificantur. Et hinc tandem malè inferunt, istum voluntatis habitum, cum quo conjuncta fides justificat, esse charitatem, que propterea fidei perfectionem addat, eam velut informet, atque sic fidem formatam constituat. Et quidem habemus hic $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$, primamque originem omnium errorum, quos adversarii in locum de Justificatione invexere, nimirum quia fides salvifica, si absque charitate conjuncta consideretur, sit tantum notitia & assensus, ideoque sola justificare nequeat, idcirco ad completam ejus definitionem & essentiam, quò solis quadret justificationis, sumendam esse à charitate differentiam. Quod considerans Lutherus, non immeritò distinctionem illam vocavit *Satanicam & pestilentem*, licet ipsum hoc nomine suggillet Bellarminus l. 2. de Justific. c. 4.

Origo omnium errorum Protestantium in loco de justificatione.

XVIII.

Istas autem tricas spinasque primum produxerunt Scholastici, quorum Dux & Magister Lombardus l. 3. sentent. dist. 23. lit. C.

lit. C. ita scribit: Fides quæ creditur, si cum charitate sit, virtus est: quia charitas (ut ait Ambrosius) mater est omnium virtutum, quæ omnes informat, sine quâ nulla vera virtus est. Fides ergo operans per dilectionem virtus est, quâ non visa creduntur. Sic lit. D. Fides, quam demones & falsi Christiani habent, qualitas mentis est, sed INFORMIS, quia sine charitate est. Rursus lit. E. Si queritur, utrum illa INFORMIS qualitas, quâ malus Christianus universa credit, quæ bonus Christianus, accedente charitate remaneat & sit virtus, an ipsa eliminetur & alia qualitas succedat, quæ virtus sit? Vtrumlibet sine periculo dici potest. Mibi tamen videtur, quid illa qualitas, quæ prius erat, remaneat & accessu charitatis virtus sit.

XIX.

Lombardum secutus est Thomas de Aquino, qui 2. 2. quæst. 4. art. 3. expressè ait: Charitas est forma fidei, quatenus per illam actus fidei formatur & perficitur. Art. 4. scribit: Idem est habitus fidei formatæ & informis. Cuius ratio est, quia habitus diversificatur secundum illud, quod per se ad habitum pertinet. Cum autem fides sit perfectio intellectus, illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum. Quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, ita quod per hoc fidei habitus possit diversificari. Distinctio autem fidei formatæ & informis est secundum id, quod pertinet ad voluntatem, id est, secundum charitatem, non autem secundum illud, quod pertinet, ad intellectum. Unde fides formata & informis non sunt diversi habitus. Idem quæst. 23. art. 4. scribit: Charitas omnium virtutum forma est, cum per ipsam omnium virtutum actus in debitum & ultimum finem ordinentur. Et paulò post: Charitas dicitur esse forma aliarum virtutum, non quidem exemplariter & essentialiter, sed magis effective, in quantum scilicet omnibus formam imponit secundum modum prædictum. Similia scribit Gabriel Biel. in 3. Sentent. dist. 23. quæst. 2. art. 3. dub. 5. cujus hæc verba: Habitus fidei informis nihil aliud est, quàm cui in eodem subjecto non assistit charitas: fides formata est, cui in eodem subjecto assistit charitas, unde habitus fidei non mutatur propter adventum charitatis, sicuti nec corpus propter vestimentum.

XX.

Paucis igitur loquendo, hæc Scholasticorum & Papicolarum mens est, quod fides per charitatem informetur ac perficiatur, ut homo placeat Deo & justificetur coram illo: quâ hypotbesi præsuppositâ, in salutis negotio primæ partes tribuuntur charitati, tanquam formæ, siquidem per illam fides formatur juxta Pontificios, & Deo accepta redditur.

XXI.

Hic autem error Scholasticorum ut refutetur plenius, duo considerabimus 1. Terminos, qui barbari, obscuri, absurdi: 2. Rem ipsam, terminis notatam, quæ falsa & Scripturis contraria.

XXII.

I. TERMINORUM CONSIDERATIO. Multa sunt?

Quid circa terminos fidei formatæ & informis merito desideretur.

quæ in ijs optimo jure taxari possunt, nos compendium facturi, dicimus terminos illos esse. 1. Barbaros, id quod vel ipse fons confirmat. Quis enim Latinorum unquam rem unam modo informem, modo formatam nuncupavit? 2. Obscuros, quia nemo vocabula illa primum audiens, sensum Scholasticorum assequitur, sed prolixâ declaratione opusest, cum tamen id quod volunt, paucis & significantibus terminis exprimere possint, si dicant, *Fides vel à charitate separata vel cum charitate conjuncta est*, id quod & ineruditi facile intelligunt. 3. Absurdos & ἀνωιδεύτως. Nam 1. Fides informis & formata non differunt essentialiter, unde Thomas concedit 2. 2. quæst. 4. art. 4. quod utraq, fides sit unus habitus. Quî ergo tanquam species oppositæ distingui poterunt? Aut quomodo unum manebit, quod formâ jam præditum, jam destitutum dicitur? 2. Fatentur Scholastici ex Thomâ 2. 2. quæst. 6. art. 2. quod infirmitas ad fidei rationem non pertineat, hoc est, quod fides essentialiter vera sit fides, licet cum charitate non conjuncta. Jam quod ad rationem rei non pertinet, quomodo peculiarem speciem constituet? 3. Fides vera nunquam destituitur suâ formâ. Et dicitur ipsi, quod fides per assensum plenè constituatur. Cur igitur ἀπλῶς informe dicunt id, quod plenâ for-

formalitate præditum? 4. Oppositum non est oppositi forma. Sed fides & charitas, quæ refertur inter opera, sunt opposita: Illa juxta Pontifices ad intellectum, hæc ad voluntatem pertinet. Qui ergo virtus voluntatis informare poterit virtutem oppositâ intellectus? 5. Si charitas fidei forma est, mox quaeritur *Qualis sit?* Nec enim est *exemplaris*, uti constat, & sequeretur alias, charitatem & fidem non differre specie: Neque est *interna & essentialis*, quia fidem per assensum intrinsecus constitui volunt. Neque dici potest *externa vel assistens*, cum charitas fidem non moveat vel dirigat, sed à fide potius moveatur, & dirigatur. Neque ulla formatum species occurrit, ad quam charitas respectu fidei convenienter referri possit. Quò igitur tandem sensu & respectu charitas erit vel dici poterit fidei forma?

XXIII.

Mirum verò est, quantoperè hic sudent Jesuuitæ, ut ex sententia illo se expediant. *Bellarminus lib. 2. de justif. cap. 4. scribit, Dilectionem formam esse extrinsecam fidei, non intrinsecam, & quæ det illi, non ut sit, sed ut moveatur, ac per hoc fidem sine dilectione non desinere esse fidem, sed desinere esse rem actuosam & operantem.* Verùm hæc omnia falsa, & cum petitione principij conjuncta sunt. Fides enim movet, non movetur; Causa est charitatis, non effectus; præcedit illam, non sequitur, uti fusiùs mox ostendetur. Deinde posito non tamen concessio. Fidem moveri à charitate, manet nihilominus dubium, an propterea duæ fidei species fingi debeant, & alia informis dici, alia formata? Puer à Pædagogo regitur, & ad discendum movetur: num autem ideò sic distinguere licet, ut pueri quidam appellari debeant aut possint informes, nempe qui pædagogo carent; alij formati, nempe qui sub pædagogi disciplinâ vivunt? Sessor regit moverque Equum: qui tamen unquam tam absurdus fuerit, ut duas equorum species fingeret, quosdam appellando informes, quosdam formatos? Monialium rectorix Abbatissa est. Quare juxta Jesuuiticum acumen hæc tantùm præsentem, erunt illæ formatæ, sed absente, manebunt omnes informes, nisi fortè Monachi, ex

*Exceptio
Bellarmini.*

Responsio.

misc-

miseri cordia informes miserâque puellulas gratiosâ suâ præ-
 sentiâ forment ita, ut novæ formæ, multæque informium &
 formatorum foetuum species enascantur. Tandem debuisset
 Bellarminus eorum, quæ scripsit, meminisse omnium, juxta illud
 vulgatum veriverbium: *Mendacem oportet esse memorem.* At ve-
 rò l. 2. de justif. cap. 7. col. 1058. A. B. ita disserit: *Tametsi ali-*
quando denominatio fiat à forma extrinseca, quomodo res dicitur cognita
per cognitionem, quæ est in mente, & paries dicitur visus, per visionem, quæ
est in oculo: Tamen cum in aliquo sunt duæ formæ contrariæ, una inherens,
altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta sumitur ab inherente for-
ma potius quàm ab extrinseca. Si quis enim Aetiopem candidâ veste in-
duerit, non rectè diceret, Aetiops est albus, sed contrà, rectè diceret, hic
Aetiops est niger: Quoniam magis ad eum pertinet propria & inherens ni-
greo, quàm ille ascititius candor externus. Ex quibus Bellarmini
*verbis fluit hoc à *Ætiopæ*: Formatum propriè dicitur à forma interna,*
quæ rem constituit, & per quam res est id, quod est, non autem à forma ex-
ternâ. Unde mox inferimus, quòd fides justificans à forma sua
interna, quæ est apprehensio meriti Christi, & non à charitate,
quàm volunt esse tantùm formam externam, formata, dici de-
beat & propterea ob charitatis absentiam informis appellari
haud possit.

XXIV.

Exceptio
 Gregorij de
 Valentia.

Gregorius de Valentia. Tom. 3. Comment in Thomam.
 Disp. 1. quæst. 4. punct. 3. distinctionem illam ita palliat: *Theolo-*
gi in 3. sent. distinct. 23. cum magistro ibidem affirmant, Fidem à chari-
tate tanquam à formâ perfici. Nec tamen sentiunt, quòd charitas propriè
sit forma fidei aut essentialis, ut anima dicitur forma hominis, aut acciden-
talis & extrinseca, ut albedo corporis. Hoc enim falsum esse, ex eo per-
spicuum est, quòd charitas & fides sint duæ virtutes specie distinctæ, quæ du-
as diversas potentias perficiunt. Solùm igitur volunt Theologi, charitatem,
quoniam perfectionem aliquam addit fidei metaphoricè dici posse formam
ipsius: secundum analogiam videlicet ad formam propriè dictam, quæ suo
modo, subjèctum perficit. Sed neque hoc emplastrum sanabit cau-

Sam.

fam morbidam. 1. Si charitas tantum metaphoricè dicitur *Responſio.*
forma fidei, ſequitur, quòd valdè impropria ſit iſta locutio.
Nos autem non de figurata & impropria, ſed de genuinà ve-
ràque fidei formâ ſolicitati ſumus. Deinde falſum eſt, quòd
fides iuſtificans, quâ talis, vel aliquam tantum à charitate,
perfectionem accipiat: Perficit virtutes reliquas, non per-
ficitur ab iis; Sola iuſtificat, operum aſſumento non indi-
get. 3. Si maximè charitas externam quandam perfectionem
adderet fidei, num propterea ſine illa ἀπλῶς informis dici de-
beret, cum per ſuam internam & eſſentialem formam plenè
conſtituta ſit? Externam perfectionem addit Præceptor diſci-
pulis, Pater liberis, Oeconomus ſervis, Sollar equis, Abbas Mo-
nachis: num autem propterea rectè diſtinguetur inter diſcipu-
los, liberos, ſervos, equos, Monachos informes & formatos?
4. Quis unquam doctorum diſtinxit inter formam rei pro-
prium & metaphoricam? Nam τὸ proprium & metaphori-
cum non diſtinguunt res, ſed modos loquendi. Si ergò cha-
ritas tantum metaphoricè forma fidei dicitur, cur duæ ipſius rei
diſtinctæ ſpecies finguntur? Ratio metaphoricè dici poteſt
forma appetitus ſenſitivi, quatenus hunc dirigit, adeoque ex-
ternam perfectionem addit. Quis autem ob iſtum loquendi
modum metaphoricum, putaret ipſum appetitum in duas ſpe-
cies diſtinguendum eſſe, ut alius dicatur informis, alius for-
matus? 5. Colophonis loco adhuc aliam propono inſtantiam,
quæ omnibus fucis Jeſu viticis, quibus informem inſulſamque
illam diſtinctionem palliare ſtudent, firmiter opponi poteſt.
Concedant illi, quòd Homo primus fuerit conditus ad imagi-
nem DEI, quæ quidem non fuit eſſentialis forma hominis,
ſiquidem illà perditâ, Homo non deſiit eſſe Homo; perfecit ta-
men illum, & ad piè operandum reddidit idoneum, quâ de cauſâ
poteſt ad exemplum Paſtorem, propter externam illam per-
fectionem, metaphoricè Hominis forma nuncupari. Quò
præſuppoſitò, mox infero, duas Hominis ſpecies eſſe ſtatuen-
das, quòd nempe Homo alius ſit informis, alius formatus. In-
formis eſt, qui imagine DEI caret; formatus, qui iſtâ prædi-

rus. Quis autem non rideret distinctionem hanc barbaram, quam tamen an rejecturi sint Jesuuitæ, ambigo. Vix enim poterunt, nisi propria vineta cædere, & informis formata que fidei monstrum, quippe ex iisdem principiis natum, deserere velint.

XXV.

Errores, quos Pontificij occultant sub commento fidei formatae & informis.

II IPSIUS REI CONSIDERATIO. Multi crassique errores sub fide Scholasticorum formata delitescunt, quos incauti & simplices difficulter animadvertunt. Si enim quæras, quam perfectionem fidei addat charitas, & quo respectu dicatur forma fidei, mox audies 1. fidem non esse in se virtutem, sed charitatis accessu demum fieri. 2. Fidem in se otiosam esse, & veluti rem mortuam, per charitatem autem actuosam effici. 3. Fidem nihil per se facere ad salutem consequendam, sed quicquid valet, id omne accipere à charitate. 4. Fidem per imperium charitatis referri & ordinari ad ultimum finem, ad quem directa per se non sit. Ita ergo fidem à charitate formari statuunt, respectu 1. receptionis in numerum virtutum. 2. Activitatis. 3. Justificationis. 4. Directionis ad finem ultimum, qui errores sunt longè gravissimi, de quibus ordine differendum erit.

XXVI.

1. An fides per charitatem virtus fiat?

PRIMUS ERROR. Contendunt, fidem in se non esse virtutem, sed accessu charitatis primum fieri. Ita enim docuit Lombardus lib. 3. sentent. distinct. 23. lit. E. *Mihi videtur, quòd illa qualitas, quæ prius erat, (nempe fides informis) remaneat, & accessu charitatis virtus fiat.* Et Thomas 2. secundæ quæstion. 4. artic. 5. *Fides informis non est virtus, quia etiamsi actus fidei informis habeat perfectionem debitam, ex parte intellectus; non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis.*

Negativa probatur.

Contrà, fatemur quidem, quòd fides justificans, quatenus justificat, non sit virtus, quia sic ex quodam bono opere justitiam

justificaremur, quod est contra Apostolum, qui fidem salvi-
ficam & opera legis semper opponit: Interim tamen & hoc
affirmamus, quod fides ratione sui esse, & extra justificandi
officium considerata, verissimè & essentialiter virtus, imò
principalis virtus, virtutumque omnium mater sit, nec pri-
mum talis fiat charitatis accessu. Nam si virtutes aliæ intel-
lectus, aliæ voluntatis dicuntur. At fides utroque modo vir-
tus est. Nam ratione assensus ad intellectum, ratione fiducia-
lis apprehensionis ad voluntatem pertinet. Quis ergo è vir-
tutum numero excludi poterit? 2. Si fides ratione sui non est
virtus, quod tandem ejus genus invenient? Nos verò ita pro-
cedimus: Omnis actus hominis circa DEUM occupatus, vel
bonus est, & virtus; vel malus, & vitium, seu peccatum no-
minatur: At verò fides est actus hominis circa DEUM oc-
cupatus: non autem malus, quod patet. Quare bonus, & per
Consequens virtus. 3. Quicquid DEO per se placet, ita-
quidem, ut sine illo nihil placere possit, id non tantum virtu-
tis, sed & mater virtutum sit oportet. Atqui fides DEO
per se placet, ita quidem, ut sine illa nihil placere possit,
Hebraeor. cap. undecimo versic. sexto. Fides igitur non tantum
virtus, sed & mater virtutum est. 4. Si fides non est vir-
tus intrinsecus & per essentiam, nunquam talis fiet accessu
charitatis. Hæc enim non mutat fidei esse internum, sed
tantum externam dicitur addere perfectionem. Qui ergo
in virtutem transformabit illud, quod in se & essentia-
liter virtus non est? Vidit hoc *Durandus*, ideoque lib. 3. sen-
tent. distinct. 23. quæstion. 6. negat contra reliquos Scholasti-
cos, quod fides formata sit perfectiùs & magis virtus per cha-
ritatem, *Quia*, inquit, *fides non elicit perfectiorem actum (qui est
assentire vero supernaturali) charitate existente in voluntate quam non
existente.* 5. Contradicunt sibiipsis, quia fidem sui ratione & absq;
charitate consideratam sæpissimè virtutem nuncupant. Unde
Lombardus ait lit. B. *Fides est virtus, quæ creduntur, quæ non videntur,*

Sic lit. C. Accipitur fides tribus modis: scilicet pro eo, quo creditur, & est virtus, &c. Thomas 2. secundæ quæst. 4. artic. 5. scribit: Virtus humana est, per quam actus humanus redditur bonus, unde quicumque habitus est semper principium boni actus, potest dici virtus humana. Subsumimus: Fides principium est omnium bonarum actionum in Christiano. Hinc concludimus: Quare fides per se, inò principaliter virtus est.

XXVII.

Exceptio.

Ad hæc omnia, si velint excipere, quòd fides per charitatem fiat virtus non absolutè, sed limitatè, nimirum talis virtus, hoc est, justificans & DEO accepta; Respondebimus: 1. Quòd Lombardus absolutè loquatur, sine additâ limitatione, ideoque ad minimum locutio illa, quippe verbis illimitatis prolata, improbari debet.

Responsio.

2. Quòd fides per charitatem nec absolutè virtus fiat, nec limitatè talis virtus, quia per se DEO placet, & justificat sine omni omnium operum, & sic charitatis etiam adminiculo. Concidunt proinde omnes illæ Papicolarum evasiones, quibus absurdam & illimitatam Lombardi thesin excusare & conciliare student. Bonaventura in lib. 3. sentent. distinct. 23. art. 2. quæst. 1. fol. 297. ita distinguit: Dicendum, quòd virtus dupliciter consuevit accipi, propriè videlicet & communiter. Propriè namq; dicitur virtus recta ratio perducens in finem; & hoc modo virtus est principium operis meritorij; & dicitur solummodò de habitu gratiâ informato, sine quo non contingit pervenire ad finem gloria. Aliò modò dicitur virtus communiter habitus rectificans potentiam aliquâ rectitudine justitiæ, & vigorans eam circa opus difficile, quamvis non perducatur in finem. Et hoc modo accipiendo virtutem, habitus politici informes dicuntur esse virtutes: Hoc etiam modo fides informis, quæ quidem est in malis Christianis, habet esse in genere virtutis. Verba hæc Bonaventuræ obscura sunt, hoc tamen innuunt, quòd virtus sumatur vel largè & absolutè pro quavis perfectione potentiz: vel propriè & limitatè pro perfectione ad finem ultimum ducente, seu pro opere vitam æternam promerente.

fides

fidem sine charitate esse virtutem, posteriori non esse. Eodem recidit Valentiani distinctio, quam Tom. 3. disputat. 1. quaest. 4. punct. 5. col. 434. D. ita proponit: Cum Theologi asserunt fidem formatam proprie & simpliciter esse virtutem, non autem fidem informem, virtutem considerant non tantum secundum essentiam virtutis, sed etiam secundum quendam perfectum virtutis statum, consistentem in hoc, ut valent ad consequendam beatitudinem. Fidem igitur informem censent virtutem esse, sed non perfectam virtutem. Ad has similesque exceptiones nos respondemus. 1. Quod procedant ex falsa hypothesis, qua confunditur fides historica cum salvifica, quae non in assensu solo, sed cum primis in fiducia consistit. 2. Nec minus illud falsum est, quod putant, fidem justificantem, de qua Paulus in Epistolis suis loquitur, à charitate separari posse, & per illius accessum postea perfici. 3. Omnes illae distinctiones petunt principium. Nam vera virtutis denominatio non ab externo quodam circumstante, sed ab interna forma sumitur; quae cum fidei non possit denegari, virtutum numero eximi potest minimè. Quod enim res per suam essentiam est, illud simpliciter est, nec esse desinit, ob externum quendam & accidentaneum respectum. Duo igitur probanda ijs sunt. 1. Quod illud tantum proprie sit virtus, quod justificat, & mereri potest vitam aeternam. 2. Quod fides ex se non habeat vim justificandi, sed à charitate primum accipiat, quae duo cum in aeternum demonstrari nequeant, cadit insulsa illa Lombardi sententia, quod fides in se non sit virtus, sed primum fiat accessu charitatis.

XXIIX.

SECUNDUS ERROR. Statuunt, fidem in se otiosam, & veluti rem mortuam esse, per charitatem verò actuari & operosam effici. Belarminus enim l. 2. de justif. cap. 4. col. 1044. expressè scribit, quod charitas det fidei ut moveatur, ita quidem, ut fides sine Charitate desinat esse res actiuosa & operans. Contra. 1. Rursus praesupponitur falsum, ac si fides justificans à charitate separari possit.

C 3

2. Cha-

2. Charitas à fide hoc habet, ut Deo placeat & accepta sit *Hebr. 11. vers. 6.* Non igitur contra fides à charitate id accipiet. Mortua & hypocritica ea est dilectio, quæ non procedit ex fide. *Nulla virtus vera aq̄d Deum sine fide, August. l. 19. de Civ. Dei. c. 25. Absque fide nulla actio fructuosa esse potest.* Nazianzenus orat. 13. p. 347. Ut igitur verè sit operosa charitas & veluti fructus bonus placeat, sola fides efficit, qui ordo pessimè à Jesu vitis, invertitur.

3. Vera & primaria activitas fidei in apprehendendo consistit. Quicquid igitur non facit, ut fides Christum apprehendat, id quoque fidem non facit actuosam; at verò charitas non facit, ut fides Christum apprehendat fortius, licet major charitas de fortiori apprehensione testari possit: Ergò nec fides per illam redditur actuosa,

Negativa
probat
aliquot
argumentis.

4. Probari nequit, quòd charitas fidem moveat & actuosam efficiat. Nam quicquid justificat sine operibus, illud etiam movetur & agit sine charitate, quia hæc opus est. At verò fides justificat sine operibus. *Rom. 3. vers. 22. 25. 30.* Ergò fides movetur, & agit sine charitate. Porro ex quo justi vivunt illud, per se maximè operosum & efficax est. Atqui ex fide vivunt justi *Habac. 2. vers. 34.* & ita quidem ex fide, ut opera excludantur penitus, ideòque justificamur ex fide in fidem. *Rom. 1. vers. 17.* Hæc enim est vis ἀναδιπλώσεως, ut planè removeantur alia, sicuti Phraſis *Pſalm. 74. v. 8.* de virtute in virtutem notat solam & perpetuam virtutem, & *2. Cor. 3. vers. 18.* de charitate in charitatem significat continuationem ac exclusionem. Quia ergo ex fide non in opera, sed in fidem justificamur, hinc ultrò sequitur, quòd fides agat sine operibus, adeòque salutis sit initium, medium, & finis. Adde, quòd per fidem stemus, *2. Cor. 1. v. ult.* regeneremur. *Col. 2. v. 12.* Christo inseramur, *Col. 2. v. 7.* requiem ingrediamur, *Hebr. 4. v. 3.* & quidem sine assumptione operum, quæ passim à paulo ex salutis nostræ negotio removeantur. Confer alia Scripturæ loca, ubi summa fidei efficacia citra charitatis men-

cio-

tionem describitur. Marc. 9. vers. 27. dicitur, *πείθει δυνάμις τῆς πίστεως*. Et Paulus de Abrahamo scribit. Rom. 4. vers. 20. quod roboratus fuerit fide. Et Col. 2. vers. 12. Appellat *πίστιν τῆς ἐνεργείας τῆς θεοῦ*. 1. Ioh. 5. v. 4. nominatur victoria mundi. Qui Ergo fides in se esset mortua, otiosa, & per charitatem primum ad agendum apta redderetur? Lutherus de his pulchrè scripsit in. cap. 12. Genes. Sophista, inquit, cum nos de fide docere audiunt putant de re levicula contentionem esse, non enim nōrunt, fidem esse mutationem & renovationem totius Naturæ, ut aures, oculi, cor ipsum prorsus diversum audiant, videant, sentiant ab omnibus alijs hominibus. Est enim fides res vivax & potens, non est otiosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aqua, sed sicut aqua igni calefacta, etsi aqua manet, tamen non amplius frigida sed calida, & prorsus alia aqua est: ita fides Spiritus Sancti opus aliam mentem & sensus alios fingit, ac prorsus novum facit hominem, est igitur fides operosa difficilis, & potens res. Sic. in cap. 22. Genes. Fides non est otiosa qualitas, sed virtus ejus est mortem occidere, infernum damnare, esse peccato peccatum, diabolo Diabolum, adeo ut mors non sit mors, etiamsi omnium sensus testetur adesse mortem.

XXIX.

TERTIUS ERROR. Disputant, fidem per se ad salutem nihil facere, neque vim justificandi habere, sed hoc omne fidei à charitate communicari. Sic docet Gregorius de Valentia tom. 3. disputat. 1. quæst. 4. punct. 3. col. 426. Quæret aliquis, scribit, quenam sit ea perfectio, quam charitas tribuit fidei? Resp. duplicem esse: una est, quod per charitatem valet ad beatitudinem consequendam, hoc est, ad meritum. Censura Caloniensis pagin. 114. Quod justus ex fide vivit, illud non habet ex solo CHRISTO, sed ex operationibus suis, imò quod fides justificat, illam formam seu vim non habet ex CHRISTO, quem apprehendit & possidet, sed à charitate nostra.

3. An fides justificandi vim, à charitate accipiat?

Hic apertè sese produnt Sophistæ, quemnam in finem pro fide formata tantoperè pugnent, ut nempe justificationem operum eò melius asserere, & simplicioribus focam facere possint. Dicunt enim ipsi, *Nos fide justificari, imò & solâ, sed formatâ*, hoc est, per charitatem & opera, quibus illa cingitur; atque sic manifesta fraus committitur. Nam fidei omnem justificandi *δύναμιν* negant, quod ipsum, cum nimis crassum sit, & Apostoli verbis è diametro adversum, ita palliant, ut fidem justificare quidem concedant, sed formatam, cujus vocabuli additamento rursus adimunt, quod prius largiri videbantur. Nam fides formata duo complectitur. 1. fidem ipsam. 2. conjunctam charitatem. Fidei ipsi nullam salvandi vim attribuunt, sed omnem charitati: unde sequitur, licet dicant, fidem formatam justificare, perinde tamen esse, ac si fateantur expressè, non fidem in se, sed charitatem justificare, quæ deceptio num Christianos deceat, Cordati judicent. Nos errorem istum crassissimum & justificantis fidei nervos planè incidentem, sequentibus argumentis refutamus,

Fraus Pontificiorum.

Fidem justificandi vim non accipere à charitate probatur 1. à Scripturæ silentio.

De dicto Heb. 10. 2. iustus ex fide sine vivet.

1. A Scripturæ Silentio. Nuspiam illa dicit, fidem non nisi charitate formatam justificare, sed simpliciter asserit, quòd justificemur ex fide sine operibus. Conjuncta quidem vera fides semper est cum charitate, sed per hujus opem non justificat: salvamur non productione bonorum operum, sed fiduciali apprehensione Christi. Rectè igitur scripsit Lutherus in cap. 3. ad Galatas: *Spiritus Sanctus, qui dat omnibus os & linguam, novit etiam loqui. Benè potuisset dicere, iustus ex fide formata vivit, sed consulto omisit hoc, & simpliciter dixit, iustus ex fide vivit.* Ex quo dicto tale insuper fluit argumentum: *Per quod vita spiritualis, in vera justitia consistens, nobis confertur, illud vim justificandi per se habet, nec aliunde illam sortitur: Atqui per fidem justificantem vita spiritualis, in vera justitia consistens, nobis confertur juxta Prophetam & Apostolum. Ergo fides justificans vim*

vim justificandi per se habet, nec aliundè illam sortitur. Co-
jus argumenti tanta vis est, ut etiam Thomas scribere coactus
sit, 2. secundæ quæstion. 12. artic. ad 2. *Fides est vita animæ, secun-
dum illud Rom. 1. Iustus ex fide vivit. Sicut ergo sublatâ vitâ corpo-
rali, omnia membra & partes hominis à debitâ dispositione recedunt: ita
sublatâ vitâ justitiæ, quæ est per fidem, apparet inordinatio in omnibus
membris.*

XXXII.

Bellarminus lib. 2. de Justificat. c. 4. excipit I. Non de-
erant verba Spiritui sancto, quibus per Prophetam suum illud efferret,
*Iustus ex fide formatâ, aut etiam ex charitate vivit, sed maluit dicere,
ex fide vivit, vel quia non loquebatur de vitâ justitiæ, sed vita spei, quæ
justam patienter expectare facit, vel quia commendare voluit, unde
initium ducit vitæ justorum.* Resp. 1. Hæc omnia nudè dicuntur,
non probantur, ideoque meram principii petitionem conti-
nent. 2. Prophetam loqui de vita justitiæ, patet ex Rom. 1. v. 17.
ubi dictam illud ad explicandam justitiæ Evangelicæ ratio-
nem disertè accommodatur. Et cum Paulus dixisset vers. 16.
Evangelium esse DEI potentiam ad salutem omni credenti, addit hoc
argumentum ex testimonio Prophetico, *Iustus ex fide vivit.* Unde
constat, vitam & salutem hõc locò idem notare Apostolo, non
difficente Thomâ de Aquino. 3. Vita justitiæ & spei non sunt op-
posita, sed subordinata, ex uno fidei principio orta. Facit
enim fides, ut vivi maneamus, tum in foro DEI per justifi-
cationem, tum in foro mundi per spem indubitatam, quâ in
mediis periculis nos erigimus, quippè certi de f. Stâ reconcili-
atione & gratiosâ DEI præsentia. Licet ergo Propheta lo-
queretur de vita spei, non tamen hinc excluderetur vita justitiæ,
quippè quæ præsupponitur, & utraque ex fide dimanat. 4. Re-
ctè dicitur in præsentia, quòd *justus ex fide vivat.* Hoc enim de-
se affirmat & Apostolus Galat. 2. vers. 20. *Vivo in fide Filij DEI.*
Quare dictum Propheticum non tantum exponi debet de spe
futuræ gloriæ, sed etiam de possessione præsentis justitiæ.

XXXIII.

II, Excipit Bellarminus: *Sicut per Prophetam Spiritus sanctus*
D vitam

vitam justorum tribuit fidei, quoniam inde inchoatur, sic per Apostolum eandem vitam tribuit charitati, quoniam inde perficitur. Translati sumus (inquit Johannes 1. Epist. 3. vers. 14.) de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: & qui non diligit, manet in morte.

Resp. 1. Justitia dicitur ex fide venire non tantum imperfecte & ratione initii, sed potius plene & unice. Hinc Apostolus solius fidei meminit, cum doctrinam de justificatione perfecte traditurus esset. Imò sic urget fidem, ut manifeste excludat opera. *Neque est, ait Augustinus in Psal. 93 alia justitia hominis in hac vita, nisi ex fide vivere.*

2. Unde probatur, quod spiritualis vita & justitia per charitatem perficiatur? Nota quidem est justitiæ, sed non causa: testatur de vita, non constituit eam, neque perficit. Charitas est viventis hominis sive habitus, sive actio: num enim mortuus potest diligere? Quare vitam spiritualement jam plene constitutam sequitur, & propterea ejus causa esse haut poterit. Christus audiatur, qui fidei vitam tribuit, Johan. 3. vers. ult. *Qui credit in Filium, habeat vitam eternam.* Et Johan. 5. vers. 24. *Qui credit, à morte in vitam transit.*

3. Locus Johannis nihil efficit: nam particula quoniam est *συλλογιστική*, non *αιτιολογική*: ostendit *ἐκβασι*, non *αίλιον*: Johannes concludit non à causa ad effectum, quasi charitas vitam conferret, sed contra ab effectu ad causam, à nota ad rem notatam. Inde enim scimus, & scire possunt alii, nos translatos esse ad vitam, quoniam diligimus fratres. Sic ergo non causam, sed realem justitiæ describit, quam esse charitatem innuitur etiam Johan. 13. v. 35. & 1. Johan. 2. v. 5. Pulchre Augustinus Tractat. 6. in Epist. Johan. *Nos scimus: Quid scimus? quia transivimus de morte in vitam. Unde scitis? Quia diligimus Fratres. Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum; si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transit ad vitam à morte.* Nulla igitur consequentia est, si quis ita concludat: *Johannes utitur particulâ causali, Ergo charitas est causa translationis in vitam.* Nam Apostolus ibi non exponit causam rei, sed tantum causam consequentiæ. Notatur exitus & eventus, qui justificationem certo

certò sequitur, nempe quòd tum fratres diligamus. Referrì ergò huc potest illa Damasceni regula, quæ extat l. 4. de ort. Fide, c. 20. ἐστὶ τῆ γραφῆ πινὰ ἐκβατικῶς ὁφείλοντα λέγεσθαι αἰτιολογικῶς λέγειν, *Mos est Scripturæ quædam, quæ eventualiter debent intelligi, causaliter dicere*, ut Psal. 51. v. 61. *Tibi soli peccavi, ut justificeris*, ubi Prophetæ non αἴτιον ponit, sed ἐκβασιον. Non enim peccatum est causa justitiæ & veritatis divinæ, sed cum ille peccasset, secutum est hoc, ut suam Deus ostenderet justitiā. Pari modo locus Johannis rectè sic exponitur, quòd particula ὅτι ἐκβασιον notet non αἴτιον, & sic sensus: *Quia translati sumus è morte in vitam, hinc diligimus fratres.*

XXXIV.

III. Excipit Costerus in Enchiridio cap. 4. m. p. 177. *Iustum ex fide vivere, nihil aliud esse videtur, quàm justum ad normam fidei totam vitam dirigere ac formare, quomodo dicere consuevimus, quempiam medicè vivere, nempe ex Medicinæ præscripto.*

Resp. 1. Sic ergo Costerus à Bellarmino dissentit, nec quod dicit, probare potest, unde ipse de hac glossa dubitat, quod verbum (*videtur*) innuit.

2. Paulus Rom. 1. v. 17. dictum Prophetæ ad describendam rationem justificationis accommodat, non de norma & regulis vitæ exponit. Clarus cum primis est locus, Galat. 3. v. 11. *Quoniam in lege nemo justificatur apud DEVM, manifestum est, quia justus ex fide vivet*: quibus sanè verbis, non Canon vitæ, quæ utique ad legem hic exclusam conformari debet, sed potiùs veræ justitiæ modus exprimitur.

3. Unde porrò apparet, simile illud de vita Medica non quadrare. Medicina enim præscribit certam vivendi rationem, sed fides non requirit opera, quibus mereamur vitam, quoniam ante justificationem nihil mereri possumus, & post justificationem gratuitam, non fides, sed lex ipsa operum norma est.

XXXV.

II. A perpetuâ fidei commendatione. 2 A perpetua Scriptura fidem operibus semper præfert, & ita commendat, fidei commendationem adscribat soli fidei, exclusis operibus, datione.

D 2

Rom. 3.

Rom. 3. & 4. Galat. 2. & 3. Jam verò si fides à charitate *διωαμν* justificandi acciperet, tum charitas excludi non posset, imò magis quàm fides, vel potius sola justificaret, quod sacris literis è diametro adversum est.

XXXVI.

Excipit Bellarminus lib. 2. de Justificat. cap. 4. col. 1045. lit. A. *Charitatem præferri fidei, lubenter admittimus, neq; id absurdum videri potest nisi Hæretico, qui Apostolo repugnare non vereatur. Et addit, in charitate sitans esse summam Christianæ religionis, quod probari possit ex 1. Corinth. 13. Major est charitas: ex Iohan. 12. Mandatum novum do vobis, ut diligatis, ex Coloss. 3. Charitas est vinculum perfectionis: ex Augustino, qui scribat tract. 83. in Johannem: Summam Christianæ religionis redigi ad charitatem, non ad fidem.*

Duplex forum,

Resp. 1. *In genere.* Non quæritur hîc absolute, an fides aut charitas sit præstantior, sed limitatè, cuinam justificatio sit adscribenda? Ubi Scriptura mox excludit opera, & cum operibus charitatem; contra solam nobis commendat fidem, quæ propterea charitati meritò præfertur. Distinguant igitur inter forum *Justificationis* coram DEO, & inter forum *Probitatis* coram hominibus. *Illud* ingreditur sola fides sine operibus: hîc primas tenet charitas, sed ideò non justificat, multò minus justificandi *διωαμν* fidei impertire potest.

2. *In specie.* Charitas major dicitur fide 1. Corinth. 13. v. ult. non respectu justificationis, sed respectu externi fori sanctioniæ; tum propter latius objectum, tum propter longiorem durationem. Fides enim tantùm tendit in DEUM, charitas in DEUM & proximum: Fides durat in hoc saltem seculo, charitas in æternum manebit. His respectibus major est fide, quæ ipsa tamen major est charitate, quia sola, operibus exclusis, juxta Apostolum justificat. Ex loco Ioh. 13. v. 34. 35. nihil sequitur aliud, quàm charitatem ratione mendati necessariam.

ariam, & verorum Christianorum esse tesseram. Quoad dictum Col. 3 v. 14, notari debet, quòd duplex sit fidelium perfectio, altera publica & communis, quâ coalescunt in unum corpus, fraternâ societate junctum: altera privata & cuius propria, quâ singuli coram iudicio DEI consistunt, & perfectam peccatorum veniam consequuntur. Prioris perfectionis vinculum est charitas, quippe cuius nexu alligantur Christiani invicem: sed posterior perfectio non nisi ex fide oritur, quæ sola coram DEO justificat, & peccatorum remissionem impetrat. Tandem Augustinus loquitur de fide, quæ separari potest à charitate. At ea tantum historica est, non salvifica, quæ per charitatem semper efficax Gal. 5. vers. 6. Et si dilectio consideretur tanquam nota fidelium, & nexus perfectionis Ecclesiasticæ, non renuimus, quin summam Christianismi ad illam redigi posse cum Augustino statuatur.

XXXVII.

III. A fidei & charitatis oppositione.

Sicut in Philosophia primâ divisione substantia & accidens distincta sunt: Sic in Theologia Evangelium & lex, fides & opera semper opponuntur; quo præsupposito, ita colligimus: Nullum oppositum potest esse forma alterius oppositi, ideoque nec potest vim illi formaliter operandi impertire. Sed opera, (& per consequens charitas) fidesque sunt opposita. Quare opera, (& per Consequens charitas) nequeunt esse fidei forma, ideoque nec possunt vim illi formaliter operandi, hoc est, justificandi impertire. Rursus: Quicquid ex lege est, id non justificat, Gal. 3. vers. 10. seq. multò minus justificandi *δύναμιν* aliis illâ destitutis conferre potest. Sed charitas ex lege est, quia in charitate summa legis & omnium præceptorum consistit, Matth. 22. vers. 40. Rom. 13. vers. 8. 9. Ergo charitas non justificat, multò minùs justificandi *δύναμιν* aliis, adeòque nec fidei conferre poterit.

3. A fidei & charitatis oppositione.

Excipit Bellarminus l. d. Col. 1046, A. *Quis ferat, charitatis donum, quod est ipse nucleus Evangelij, transferri ad legem & opponi fidei? Si charitas ad legem pertinet, quia lex charitatem precipit, cur non etiam fides relegatur ad legem, cum tam multa sint in lege de fide præcepta? Præceptum charitatis, ut etiam fidei, ad legem pertinet, Spiritus autem charitatis & fidei ad Evangelium.* Resp. 1. Charitatem esse nucleum Evangelij, unde probabitur? Quin potius hoc elogium Christo tribuendum, qui solâ fide recipitur, *Ioh. 1. v. 12.* 2. Cùm Apostolus opera & fidem, Evangelium & legem expressis verbis opponat, *Gal. 2. vers. 16. & 3. vers. 9. seqq.* meritò & nos oppositionem illam contra Pontificios urgemus. 3. Distinguendum est inter fidem generalem & specialem vel salvificam: illam lex requirit, hanc non tradit, cùm ejus objectum, quod Christi meritum & promissiones de gratia DEI, omninò ignoret. 4. Non negamus, quòd Spiritus Charitatis, id est, renovatio spectet ad Evangelium, tanquam ejus beneficium, siquidem ex Evangelio fides accenditur, & fidem renovatio mox sequitur: in negotio justificationis tamen hæc accuratè distinguenda sunt. Ibi enim, quicquid opus legis est, excluditur, & sola fides apprehendens Christum, quæ ex lege non est, commendatur. Charitas verò est opus legis, quanquam non nisi per Evangelium & fidem inde accensam, vires diligendi nasciscimur. Ratione sui, charitas est opus ad legem pertinens, ideoque non justificat: Ratione acquisitionis, ad Evangelium spectat; quia per hoc datur, non quidem ad justificandum, sed ut justificationem consequatur.

4. A meriti
Christi ex-
tenuatione.

IV. A meriti Christi ex enuatione. Si Charitas forma fidei, tribuens vim justificandi, & per consequens fide statuitur præstantior, mox obscurabitur Christus ejusque beneficium, & incipient homines amissa fide, nisi dilectione & operibus moralibus. Hoc argumentum Lutheri est, qui Tom. 4. Lat. Gen. in epist. ad Galat. fol. 87. ita scribit:

Si

Si charitas est forma fidei, statim cogor sentire, ipsam charitatem esse maximam partem Christianæ religionis, & sic amitto Christum, Sanguinem, vulnera, & omnia beneficia ejus, & inhereo charitati, & venio in facere morale.

XL.

Excipit Bellarm: l. 2. de justif. cap. 4. col. 1045. C. ex prædicatione charitatis non oriri obscuracionem beneficiorum Christi, cum Charitas sit summum ejus beneficium; neque fidei contemptum, cum charitatem sine fide esse, impossibile sit.

Resp. ad 1. Loquimur hic non de quolibet CHRISTI beneficio, sed de illo, quod vocatur gratuita peccatorum remissio: Hoc certè obscuratur plurimum, si charitati justitia nostra tribuitur. Quantum enim assignatur operibus, tantum adimitur gratiæ, ob Paulinam oppositionem Rom. 11. versu 6.

Ad 2. Eriam si fides non est absque charitate, si tamen Charitas ejus forma statuitur, tum fidei præstantia haud parum enervatur, eò quòd non amplius justificare creditur per se, sed ex adminiculo charitatis, nec per modum instrumenti recipientis, sed potius per modum dispositionis aut boni operis.

LXI.

V. A Charitatis adjuncto, quod est fidẽ consequi. Vera & Christiana dilectio fide posterior est, & illam consequitur, quia fide primùm accipitur justitia Christi, Colos. 2. vers. 6, & quam in ipso habemus, remissio peccatorum, Eph. 1. vers. 7. Actor. 26. v. 18. deinde unà donum Spiritus Sancti accipitur, Gal. 3. v. 14. promissi credentibus in Christum Job. 7. v. 39. atque sic fide jam justificatis & filiis Dei, Gal. 4. v. 6. qui Spiritus renovationem, charitatem & reliquam novam obedientiam incipit efficere Tit. 3. v. 5. 2. Cor. 3. vers. 18. Gal. 5. v. 22. Ezech. 36. v. 25. 26. 27. ubi ordo hic exquisitè est expressus. Et sanè Deũ nemo diligit, nisi

s. A charitatis adjuncto, quod est fidẽ consequi.

nisi Spiritum sanctum habeat inhabitantem, juxta Rom. 5. vers. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. At nemo hunc Spiritum habet in se nisi justificatus; Non autem nisi ex fide justificamur. Hæc ipsa ergo præcedit ordine justificationem, inhabitationem sancti Spiritus, novam obedientiam, & charitatem.* Referenda huc sunt dicta veterum in quibus fidem nominant *matrem, genitricem, fontem, radicem bonorum operum, adeoq; ipsius charitatis.* Gregorius l. 2. in Jobum: *Si fides non prima in corde nostro gignitur, reliqua quæque bona esse non possunt, etiamsi bona videantur.* Et homil. 19. in Ezech. *Fides est vestibulum, per quod ad bona opera pervenitur.* Huc etiam spectat, quod à nonnullis dicitur, geminam esse fidei iustificantis *evégyeia*; alteram primariam & immediatam, quæ est apprehensio Christi, nec exercitur per charitatem: Alteram secundariam & mediatam, quæ fides, mediante, & ordine prius interveniente gratiâ hominis justificatione, adoptione & Spiritus Sancti donatione, charitatis opera producit. Pulchrè Brentius in Apol. Confess. Wirtemb. p. 319: *Fides, ut ita explicandi gratiâ dicam, duplices habet manus, unam quam extendit sursum, & apprehendit Christum, unâ cum omnibus beneficijs suis, & hac parte dicimus nos justificari per fidem: Alteram, quam protendit deorsum, ad exercenda opera charitatis ac reliquarum virtutum; Et hac parte testificamur quidem veritatem fidei, non autem justificamur.*

Duplex fidei évégyeia.

Duplices fidei manus.

XLII.

Quapropter hoc tenendum firmiter, quòd fides justificans ordine prior, charitas posterior sit; id quod nec ipsi negare poterunt Pontificij, cum fidem nomine nunciant initium, medium, & fundamentum bonorum operum. Calvinus in majori Catech. c. 1. quæst. 3. scribit: *Fides est janua nostræ salutis, sine qua Deum invenire & invocare, DEO inservire & placere in hac vita nullus potest.* Bellarm: ait l. 1. de justifi: cap. 13. *Fides est principium & radix reliquarum virtutum.* Cap. 15. *Fides gignit charitatem dispositivè.* Et libr. 2. De justif.

Iustif. cap. 4. col. 1045. lit. D. fatetur, à fide initium ducere vitam iu-
 storum. Quibus ita præsuppositis, argumentum tale nectimus:
 Causa ab effectu, antecedens à consequente nec informatur,
 nec *divinè* formaliter operandi accipit. At verò fides est
 causa & antecedens, charitas est effectus & consequens. Ergò
 fides à charitate nec informatur, nec *divinè* formaliter ope-
 randi, hoc est, justificandi accipit. Proinde discrimina fidei
 & charitatis in hac controversia semper accuratè sunt obser-
 vanda, quippè cum ex illorum confusione tota religio Chri-
 stiana turbetur, & summa imis permisceantur. Sola fides ju-
 stificat, charitas justificationem indicat. Fides iustitiæ causa,
 charitas nota est. Fides antecedit, charitas consequitur. Fides
 audit DEUM promittentem, charitas præcipientem. Fides
 recipit Christi beneficia, charitas reddit mutuam benevolen-
 tiam. Fides versatur circa DEUM, charitas circa DEUM
 & proximum. Fides respicit opera DEI: charitas refertur
 ad opera nostræ. Fides habet virtutem apprehensivam, chari-
 tas egressivam. Fides mendica, charitas liberalis est; &
 quæ sunt alia utriusque discrimina, quæ per informem illam
 formatæ informisque fidei distinctiunculam non parùm con-
 velluntur.

Discrimina
 fidei & cha-
 ritatis.

XLIII.

QVARTUS ERROR. Tandem autumant, fidem per 4. An fides per
 imperium Charitatis referri & ordinari ad ultimum finem, ad quem per se imperium
 directa non sit. Hunc respectum Gregorius de Valentia addit, & à charitatis re-
 præcedente distinguit, ita scribens Tom. 3. disput. 1. quæst. 4. feratur ad ul-
 punct. 3. colum. 426. B. C. Altera perfectio est, (quam nempe cha-
 ritas tribuit fidei) quòd quatenus fidei actus per imperium charitatis
 refertur ad ultimum finem, hoc est, quatenus credit aliquis propter Deum,
 ut summum bonum, pertinet actus fidei ad eandem specie rectitudinem, ad
 quam ipsa charitas, atq; adeò est ejusdem speciei, cujus est charitas ipsa.
 Hoc tamen est discrimen, quòd rectitudo hæc essentialis est ipsi charitati, ut
 quæ secundum suam rationem non habet aliam laudem, quam quod
 respicit in summum bonum, quod est DEVS: Fidei verò non est hæc re-

E

ctitudo,

*Etudo, nisi accidentalis, quatenus fidei accidit, ut ipsius actus voluntariè
per charitatem referatur in summum bonum.*

XLIV.

*Negativa eli-
gitur & pro-
batur.*

Contrà, primò Omnia hæc spinas sapiunt Scholasticas, nec quod dicitur, ullo aliquo Scripturæ testimonio probatur.

2. Fides fertur in Deum, ut summum bonum, non accidentaliter & per imperium charitatis, sed potiùs essentialiter & ratione internorum actuum. Fides enim, quâ notitia est, scit omninò, DEUM esse finem ultimum & summum bonum; Quâ assensus est, agnoscit & fatetur DEUM id esse, siquidem dum fides per se credit omni verbo DEI, consequenter credit & illi verbo, ubi dicitur, quòd DEUS sit finis ultimus; Quâ fiducia est, directè fertur in DEUM, ut summum bonum. In hoc uno enim quærit salutem, ab hoc uno expectat veniam, ad hunc unum velut ad summè bonum, imò ipsum bonum confugere consuevit.

3. Modus ille loquendi, quòd fides per imperium charitatis referatur ad ultimum finem, totus fermè Aristotelicus & Philosophicus est. In Ethicis enim multus fit sermo de summo bono, & actibus ad illum dirigentibus: sed Scriptura stylum longè aliter informat. Ad Christum nos deducit ejusque meritum, & docet, fidem in DEUM non ferri absolute, ut est bonum perfectissimum, sed potiùs limitatè, prout est misericors & CHRISTI meritum respicit, propter quod apprehensum, condonat peccatum, & peccatorem gratis justificat. Hæc Scripturæ doctrina, hæc fidei natura est, quæ omnia non laborant obscuritate, non sapiunt Aristotelem, non dubiam relinquunt conscientiam, sed potiùs firmum & efficax gignunt solatium. Discursus autem Papisticus de fide per charitatem relata ad finem ultimum, olet Peripatum, perplexus est, Scripturis ignotus, ad fallendum compositus, Christi meritum
obscu-

obscurat, justificationem Evangelicam enervat, & nullum tur-
baris animis refrigerium instillat.

XLV.

Et haec tenus quidem deformem illum fidei formatam scœ-
cum Papisticum argumentis bene multis enecavimus: Superest,
ut quibus eum coloribus pingere & rationibus animare so-
leant, breviter videamus.

XLVI.

I. Objiciunt dictum Galat. 5. v. 6. In Christo Iesu neq³ circum- *Objectiones*
cisio aliquid valet, neq³ praputium, ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργε- *Pontificio-*
μένη, sed fides, quæ per charitatem operatur: Quæ verba Bellarminus *rum.*
lib. 2. de Justificat. cap. 4. colum. 1044. lit. C. ita urget: *1. De dicto*
Gal. 5. v. 6.
Apostolus Paulus non solum docet fidem charitate formari, sed
etiam explicat, dilectionem formam esse extrinsecam fidei,
non intrinsecam, & quæ det illi, non ut sit, sed ut movea-
tur; ac per hoc fides sine dilectione non desinat esse fides,
sed desinat esse res actiuosa & operans. Sic enim ait Apo-
stolus ad Galat. cap. 5. Fides per dilectionem operatur. Ubi
illud (operatur) passivè accipiendum est, non activè. Est
enim in Græco ἐνεργουμένη, id est, mota atq³ acta; Itaque
sensus Apostoli est, fidem à charitate agi & moveri, quo-
modo à spiritu agitur & movetur corpus. Ac per hoc di-
lectionem non esse signum viventis fidei, ut adversarij di-
cere solent, sed etiam ipsam vitam fidei, & fidem sine
dilectione similem esse corpori sine spiritu, ut rectissimè
scribit Jacobus. Rectè ergò Catholici dicunt, fidem
sine charitate esse informem, & cum charitate for-
matam.

E 2

Resp.

Resp. 1. Rancidus Solæcismus est, operandi verbum accipere passivè, sicut & Pistorius vertit: Der Glaub wird durch die Liebe thätig gemacht / quo sensu nullus Latinorum, nullus Patrum orthodoxorum unquam accepit, unde fateri cogitur ipse Bellarm: l. 2. de Sacra, cap. 1. operari contra regulam Grammaticam accipi passivè, quam ob causam & Latinus interpres operandi verbo nunquam usus est passivè, à cujus autoritate recedere est fulmen Concilij Tridentini incurrere.

2. Lombardus ipse l. 3. Sentent. dist. 23. lit. D. fidem non aetam sed operantem dicit per dilectionem, adeoque activè interpretatur. Sic Stapletonus in præfat. promt. moral. Apostoli dictum ita citat: Fides per dilectionem operans. Et Michael Medina, citante Sixto l. 6. Biblioth. pag. 496. ait, Vera fides est, quam Paulus vocat operantem per dilectionem. Nec aliter videtur intelligere Thomas, 2. 2. quæst. 4. art. 3. cum ita concludit: Vnumquodq; operatur, (id est, agit) per suam formam. Fides autem per dilectionem operatur. Ergo dilectio charitatis est fidei forma. Idem repetit 2. 2. quæst. 23. art. 6. ad secund. Bellarminus ipse sui oblitus activè vertit. l. 2. de justifi: cap. 5. Fides per dilectionem operans.

3. Patres passivè nunquam intellexerunt hunc textum. Theophylactus in cap. 5. ad Gal. m. p. 487. Omnia pendent à fide, qua per charitatem operatur, hoc est, qua debeat semper efficax & viva demonstrari per dilectionem erga Christum. Et paulò post: Disce igitur, quòd fides operatur per charitatem, hoc est, vivere demonstratur. Sin charitatis expers sit, inefficax est. Simile est Jacobi loco: Fides sine operibus mortua. Anselmus in cap. 5. ad Gal. m. p. 253. Fides, qua per charitatem operatur, id est, non mortua, sed viva: Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est: Nec fides V. T. serviens ex timore, sed fides Evangelica, faciens ex charitate opera bona.

4. Nihil lucrari possunt ex vocabulo græco ἐνεργουμένη. Nam & Erasmus activè reddendum esse censuit hoc modo: Fi-
des

des per dilectionem agens, siquidem ἐνεργουμένη hoc loco dicitur in
διὰ θεοῦ media, & significatio ejus activa est. Neque ullum
potest ex toto N. T. proferri dictum, in quo τὸ ἐνεργεῖν πα-
sivè accipitur. Septies præterea eo verbo in media διὰ θεοῦ
usus est Paulus ut, Rom. 7. vers. 9. 2. Cor. 1. v. 6. cap. 4. vers. 12. Eph.
3. vers. 20. Colos. 1. vers. 29. 1. Thessal. 2. vers. 3. 2. Thess. 2. vers. 7. Et
semel Iacobus cap. 5. v. 17. semper tamen activâ significatione.

5. Si passivus obtinere deberet sensus, dicendum fuisset
Apostolo, non διὰ ἀγάπης per charitatem, sed πρὸς ἀγάπης à
Charitate.

6. Rei ipsius natura ἐξήγησιν hanc non admittit. Quam
enim absurdum foret, si charitatem constitueremus principium
movendæ fidei, cum contrâ fides sit radix & fundamentum, cum
sit charitate prior, cum sit charitatis causa, cum sine fide nihil
placeat Deo, Heb. 11. vers. 6. Qui ergò charitas id conferat fidei,
quod ipsum à fide accipere oportet?

7. Circumstantia hujus loci Galat. 5. ostendit, constare
non posse sententiam Bellarmini. Nam Paulus describit
ibi totam vitam Christiani hominis, in quâ vult lucere fidem
ac charitatem, ideoque opponit hoc dictum tum operosis justiti-
arijs, tum ignavis hypocritis, quasi diceret: In Christo non valent
opera, neque ullus cultus, ut circumcisio & similis, sed sola fides, & ta-
men illa fides non est otiosa, verum postquam justificavit, operosa est per
charitatem, uti loquitur Dn. D. Menzerus Tom. 3. disp. Marp.
disp. 13. Th. 67. Describitur ergò fides ab effectu suo, non à
causâ formali. Pulchrè hoc explicat Lutherus, unde illa
desumpta sunt T. 4. Lat. in epist. ad Galat. cap. 5. fol. 131. cujus
verba, cum sint notatu dignissima, in gratiam Lectoris ad-
scribemus: Apostolus brevi, inquit, velut Epiphonemate concludit,
quid sit ipsa vita Christiana, dicens, In CHRISTO IESU neque circum-
cisio, neque præputium quicquam valet, sed fides per charitatem operosa,
id est, fides non ficta neque hypocritica, sed vera & vivax; Ea est, quæ exer-
cet & urget bona opera per charitatem. Hoc est tantum dicere, Qui vult
esse

Descriptio ve
ri Christiani.

esse verè Christianus seu in Christi regno, hunc oportet esse verè credentem. Verè autem non credit, si opera Charitatis fidem non sequuntur. Et sic utrinque à dextris & sinistris excludit à regno Christi hypocrisis. A sinistris Iudeos & operarios, dicens, in Christo neque circumcisio, id est, nulla opera, nullus cultus, nullum prorsus vita genus, sed sola fides sine omni fiducia operum valet. A dextris, ignavos & inertes ac desides, quia dicunt, Si fides sine opere justificat, ergo nihil operemur, sed credamus solum, & faciamus quæ volumus. Non sic impij, dicit Paulus. Verum est, sine operibus solam fidem justificare, sed de fide vera loquor, quæ postquam justificaverit, non stertet otiosa, sed est per charitatem operosa. Igitur sicut dixi, Totam vitam Christianam Paulus hoc loco pingit, scilicet esse fidem erga Deum intus, & charitatem seu opera erga proximum foris. Ut sic homo absolute sit Christianus, Intus coram Deo per fidem, qui operibus nostris non indiget, Foris coram hominibus, quibus fides nihil prodest, sed opera, seu charitas. Hac igitur formam vite Christiane auditam seu cognitam, scilicet quod sit fides & charitas (ut dixi) nondum dicitur. Quid sit fides, Quid sit charitas, Hæc enim alia est disputatio. Nam de fide seu interna natura, ut & usu fidei, supra disputavit, ubi eam docuit esse iustitiam seu potius justificationem coram Deo. Hic conjungit charitati & operibus, id est, de ejus externo officio loquitur. Hic dicit eam esse impulsivam & effectricem bonorum operum seu charitatis erga proximum. Quare hunc locum nemo rectè sapiens potest intelligere de negotio justificationis coram Deo, cum loquatur de tota vita Christianorum. Et est planè vitiosa dialectica, seu fallacia compositionis & divisionis, ubi de parte accipitur, quod de toto dicitur. Neque enim dialectica dare debet figuras, synecdochas & hyperbolas, ut rhetorica facit, cum sit magistra docendi, definiendi, dividendi & colligendi, quantum fieri potest propriissime. Qualis enim esset ea dialectica, Homo est anima & corpus, nec sine anima & corpore esse potest, ergo corpus intelligit, anima sola non intelligit? Eadem dialectica est, Vita Christiana est fides & charitas, seu fides per charitatem efficax, ergo charitas justificat, non sola potest. Sed facessant humana somnia. Hactenus Lutherus.

8. Quæ

8. Quæ de Syriacâ versione hoc loco ab ijs ob-
iuntur, non evertunt ea, quæ diximus. Nam ostendi non
poterit, ullo N. T. exemplo, τὸ ἐνεργητικὸν passivè accipi.
Præferimus igitur Syro, dicenti fidem perfici per charitatem,
verbum & phrasin Paulinam, quam ut originariam & sim-
pliciter authenticam tutò sequimur. Quanquam enim
posset responderi, ex Iacob. 2. versu 22. (ubi etiam fides di-
citur perfici ex operibus), istud intelligi ratione declarationis
& demonstrationis, quia per opera fides quæ alioquin in corde
occulta later, innotescit, satius tamen est & tutius, inhærere
sermoni & textui Apostolico.

XLVII.

11. Opponere solent dictum Jac. 2. vers. 26. *Fides sine
operibus mortua est*: De quo loco ita disserit Bellarminus l. 2. de ju-
stifi. c. 4. Col. 1044. B. *Quid quæso interest, si dicamus fidem vi-
viam & mortuam, vel formatam & informem? ceriè enim res viva per ali-
quam formam vivit, & res mortua propter absentiam alicujus formæ mor-
tua est.*

2. De dicto
Iac. 2. v. 26

Resp. 1. Concedimus, quòd fides sine operibus mortua, cum
operibus viva sit, hinc tamen nondum sequitur, quòd charitas,
vel opera fidei forma sint. Nam quo absente res mortua, quo
præsente viva est, id non statim rei forma censeretur, cum
esse possit effectum, vel inseparabile adjunctum, cujus præsenti-
a indicat, formam rei adesse; absentia, abesse. Sic opera
fidem non constituunt, verè tamen constitutam perpetuò co-
mitantur, ideoque si absint, fidei justificantis formam abesse,
rectè colligitur. Sicut corporis humani vitam ex motu suo dignoscimus,
ita & fidei vitam ex operibus bonis, ait Bernhardus serm. 2. in fest.
Pasch. Declarat hoc Apostolus ipse exemplo corporis, quod
χωρὶς πνεύματος & vel absque spiritu dicit mortuum. Per
πνεύμα vero, hic non intelligit ψυχὴν vel animam, quæ for-
ma vivi hominis, sed ἀναπνοὴν vel respirationem, quæ per-
petuum animæ effectum, vivi que corporis adjunctum est, unde
& Verus interpret reddidit per spiritum. Nam si animam ipsam
intelligas, & charitatem illi comparari dicas, sequetur, charita-
tem

tem fidei formam internam & essentialem esse, non secus ac anima essentialis vivi corporis forma est, quod absurdum. Hec igitur præsupposito, sensus Apostoli ultrò innotescit. Nam sicut corpus sine respiratione mortuum, cum respiratione vivum est: sic fides sine operibus mortua, cum operibus viva rectè dicitur. Porro, sicuti respiratio non est corporis vivi forma, licet corpus sine respiratione sit mortuum, sed duntaxat adjectum & signum est, quo cessante, formam desisse concluditur: sic charitas non est fidei justificantis forma, licet fides sine operibus sit mortua, sed tantum consequens & perpetuum concomitans, ex cuius absentia rectè quis argumentari potest ad ipsam constituentis formæ absentiam. Proinde Jacobus à negatione effectus ad negationem causæ antecedentis hinc procedit, non autem à negatione formæ ad negationem formati, sensusque planus est, quòd sicut ex respiratione certissimè iudicatur de vitâ corporis, ita ex operibus aptè iudicari possit de fide. Ut enim rectè infertur: Corpus respirat: Ergò vivit, & contra, Corpus non respirat: Ergò non vivit, sed mortuum est: sic legitima est consequentia: Fides producit bona opera. Quare viva est. Et contra, Fides non producit bona opera: Quare non viva & vera, sed mortua & hypocritica est. Ut enim generosa arbor ex fructibus agnoscitur: sic fides vera ex bonis operibus æstimatur.

2. Si quis ita inferret: Datur fides mortua & viva: Quare datur etiam fides informis & formata, concedi posset totum argumentum dextrè intellectum. Sola enim justificans, & Christum apprehendens fides verè formata est, externa verò fidei professio cum hypocrisi conjuncta, non tam fides, quàm spectrum fidei est, adeoque ut rectè vocatur mortua, sic & informis, non absolute, sed certo respectu habito, non quòd formâ omni destitueretur, sed quia formâ fidei vivæ & justificantis caret, sicuti corpus mortuum, non est planè informe, licet corporis vivi formâ destitutum jaceat. Ubi tamen notandum, quòd fides historica & generalis, per assensum definita, possit considerari dupliciter: 1. Ratione sui, & quoad grâciam: sic prorsus informis dici

*Fides historica
dupliciter con-
siderari potest.*

dici nequit, quippe cum per assensum seu formam constitua-
 tur. 2. Ratione nostri, & quoad ὑπερθεωρίαν, prout existit in homi-
 nibus, ubi si desit fiducia, plerumq; cum hypocrisi conjuncta
 est, quo respectu fides mortua, fides limitatè informis citra ab-
 surditatem dici posset. Huc referimus memorabilem locum
 Lutheri, qui Tom. 4. Lat. Jen. fol. 82. ita disserit: *Sophistæ finxerunt
 glossam inter fidem formatam & informem, quâ vim faciunt Prophetæ ver-
 bis: Iustus ex fide vivit, si fidem formatam vocarent veram & Theologicam
 vel ut Paulus ἀνομιᾶν ἐργάζοντο, quam DEVS fidem vocat, nihil me offenderet
 hæc illorum glossa: tunc enim fides non distingueretur contra charitatem,
 sed contra vacuum opinionem fidei, quo modo & Nos distinguimus inter fi-
 dem veram & fictam. Ficta est, quæ audit de DEO, Christo & omnibus
 mysterijs incarnationis & redemptionis, & apprehendit illas res auditas &
 pulcherrimè de eis loqui novit, & tamen mera opinio & inanis auditus ma-
 net &c. non renovat & immutat cor, non generat novum hominem, sed re-
 linquit eum in priori sua opinione & conversatione. Si formatam fidem
 distinguerent contra falsam seu fictam fidem, nihil me offenderet ista illorum
 distinctio, sed ipsi duplicem faciunt fidem, informem & formatam, hanc pesti-
 lentissimam & Satanicam glossam non possum non vehementer detestari.
 Quamvis, inquiunt, adsit fides infusa quæ donum Spiritus Sancti, est & ac-
 quisita, quam nobis ipsi parimus multis actionibus credendi, tamen utraq; est
 informis & formatur charitate. Sic fides sine charitate, ut ipsi somniant,
 est quasi pictura, & res speciosa in tenebris, quæ tùm primùm apparet, cum
 lux, id est, charitas accesserit, atq; hoc modo charitas est forma fidei, & fides
 pura materia charitatis. Hoc est præferre charitatem fidei & tribuere justiti-
 am non fidei sed charitati, quia propter quod unum quodq; est tale, illud ma-
 gis tale, itaq; cum non tribuunt fidei justitiam, nisi propter charitatem fidei
 nihil tribuunt &c.*

XLIIX.

III. Nonnunquam & ita solent concludere: *Fides sine* 3. *Quod si*
charitate est inefficax. Quare per charitatem fiet efficax, adeoq; omnis fi- *des sine cha-*
dei ἐνέργεια dependent à charitate. Resp. Duplex datur fidei *ritate sit in-*
ἐνέργεια, ut supra diximus. Altera principalis & immediata, *efficax.*
quæ est apprehensio Christi: Altera secundaria & mediata, quâ
interveniente prius justificatione & Spiritus Sancti donatio-
ne bona opera producuntur. Illam nonnulli formalem, hanc
 F effe-

effectivam nuncupant. Prior fidei *ἐνεργεῖα* per charitatem se nequaquam exerit, quia fides sola justificat: posteriorem vero per charitatis studium & exercitium innotescere non imus inficias. Quare concedimus totum argumentum de *ἐνεργεῖα* secundariâ intellectum: negamus verò consequentiam, si ad *ἐνεργεῖαν* primariam, in justificando positâ, extendatur. Nam quando fides sine charitate dicitur inefficax, intelligi hoc debet tantum significativè, non formaliter. Charitatis enim absentia indicat, deesse veram fidei formam, nempe Christi apprehensionem, ideoque justificatio locum non habet. Hinc tamen minimè inferri potest, quòd ipsa charitas sit forma justificantis fidei, quâ talis. Fides quidem sine charitate existens, non est efficax, non justificat, quia non vera est, sed mortua: Interim fides viva & cum charitate existens, non efficax est, aut justificat per charitatem, sed per solam meriti Christi apprehensionem. Distingui proinde debet inter fidei *essentiam*, vel *essentiale officium*, & inter eius *existentiam*. Fides nunquam existit sola sine charitate, quia nunquam est otiosa; haut tamen propterea sequitur, quòd ratione suâ *ῥοίας* & officii essentialis non possit sola operari. Multa simul existunt, quæ tamen suis essentiis & essentialibus propriis maximè sunt distincta. Nunquam existit homo sine colore, attamen ratiocinatur sine coloris beneficio. Nunquam existit homo sine pedibus: an propterea sine beneficio pedum non videat? Non igitur omnia quæ conjuncta sunt, protinus conjunctim agunt, siquidem unitas existentiae non importat unitatem essentialis & essentialium *ἰδιωματικῶν* à quibus actiones proflunt. Quare licet multa existant unâ, ut invicem separari nequeant, attamen quia diversas adhuc in istâ unâ existentiam retinent essentias & essentialia proprietates, hinc adeò fit, ut sicut unum non constituit alterum, ita neque unum eadem omnino cum altero efficiat præstetque officia. Ut igitur concludam, Fides vera nunquam est vel existit sola sine charitate, ideoque hac absente censetur inefficax; interim tamen suum essentialis officium, quod est justificare, sine charitate expedit, non secus ac corpus vivum nunquam est sine respiratione, quæ tamen ob id corpus non vivificat, aut vivi corporis forma est, quamvis testetur de absentia vel presentia veræ formæ, quæ est anima.

Tandem IV. nonnulli hunc in modum colligunt: *Per quod res ab alijs distinguitur, id rei forma est. Sed per charitatem fides viva distinguitur à mortuâ. Quare charitas fidei vivæ forma est.*

4. Quid fides per charitatem distinguitur.

Resp. Principium distinctionis est geminum. *Aliud internū, distinguens à priori & ratione ipsius rei: Aliud externū, distinguens à posteriori, & ratione nostri.* Illud essentialiter, hoc accidentale: Illud rei forma, hoc rei adjunctum aut officium esse consuevit. De illo major, de hoc minor argumenti loquitur, ideoq; quatuor sunt termini. Nam charitas distinguit fidem veram à fictâ, sed à posteriori, velut infallibile fidei veræ signū & effectū; non autem à priori, quia hoc præstat sola Christi apprehensio, ideoq; hæc, nō charitas, fidei forma est, illā & constituens & distinguens essentialiter. Sic sola anima corporis vivi forma est, per quam internè & ἡσώδως ab alijs discernitur; nihilominus & respiratio distinguit corpus vivum à mortuo, ita quidem, ut respirans pro vivo, non respirans pro mortuo censeatur; sed quoniam hæc distinctio tantum accidentaliter est, & fit à posteriori, propterea respirationem esse ipsam corporis vivi formam, exinde nullatenus inferri potest.

MEMBRUM III.

De fide Papicolarum in formam, quam à charitate abjectam statuunt.

L.

Constans Lutheri fuit & nostra est sententia, quod fides vera, licet sola justificet, sola tamen nunquam existat, ideoq; à charitate & bonis operibus, non minus separari queat, quam à bonâ arbore fructus, à Sole radij, à formis propria. Philosophi dicunt, *duæ naturæ momenta esse, Prima, quæ sunt τὰ ἡσώδη vel rerū formæ: & secunda, quæ τὰ ἐπὶ ἡσώδη vel formarum propria; atque ista duo tam arctè cohærere, ut uno eorum concessio, alterum negari nequeat.* Pari ratione duo sunt nostri Christianismi momenta præcipua: *Primum est instar formæ, nimirum fides justificans: alterum consequitur formam, quod est studium sanctitatis & charitatis.* Et duo hæc consimiliter tam

F 2

sunt

sunt connexa, ut alterum absq; altero non existat. Ut radij solares, quodcunq; tangunt mox calefaciunt: sic fides justificans ubicunq; micat, ardorem operum bonorum excitat. Clare hoc asseritur in Apologiâ A. C. m. p. 71. De tali fide loquimur, quæ non est otiosa cogitatio, sed quæ à morte liberat, & novam vitam in cordibus parit. & est opus Spiritus Sancti: non stat cum peccato mortali sed tantisper, dum adest, bonos fructus parit. Lutherus in Gen. cap 15. Scimus, quod fides nunquam est sola, sed adfert secum charitatem & alia multiplicia dona.

LI.

Huic doctrinæ in sacris Scripturis fundatissimæ, opponunt sese Pontificij & statuunt, fidem justificantem à bonis operibus & charitate separari posse, ut hinc colligant, fidem solam non justificare, quam propterea *informem* vocant, quia charitatem veram juxta ipsos fidei formam non includat. Sic enim scribit Bellarm. l. 1. de Justific. c. 14. Col. 979 *Falsum est, quod ipsi dicunt, fidem veram non posse à virtutibus cæteris esse disjunctam, & cum peccatis vitijsq; conjunctam.* Et c. 15. ita præfatur: *Fidem veram & Christianam, quæ per modum dispositionis justificat impium, posse à dilectione, alijsq; virtutibus separari, his argumentis probatur.* Ruardus Tapperus Tom. 2. operum pag. 39. scribit: *Actus fidei & spei etiam perfecti possunt esse in homine peccatore, sicut in eo manere possunt fides & spes: sed non actus charitatis perfectus, qui omnia peccata suo ardore statim absorbit.* Similia tradit Gregorius de Valentia Tom. 3. Comm. in Thomam Disp. 1. quæst. 4. punc. 4. col. 428. *Doctrina orthodoxa est, veram fidem, hoc est, Theologicam, quam definiunt Apostolus Hebr. 11. quæq; unâ cum alijs virtutibus in Scripturis requiritur ad salutem cum charitate & sine charitate posse constare: ac proinde, quod ad rem ipsam attinet, optimam esse distinctionem illam Theologorum fidei informis & formatae.* Sic in Concilio Tridentino adversus hos hereticos definitum est Sess. 6. cap. 15. & can. 28. Cofferus in Enchiridio c. 4. m. pag. 178. scribit: *Sicut optimi & nobilissimi Medici, cum non ignorantia sed fragilitate nature præcepta artis quam callent, intemperanter vivendo violant, scientiam medendi non amittunt: ita Christianus, qui contra conscientie dictamen in leges fidei peccat, nec fidem amittit, nec desinit esse Christianus.*

LII.

Antequam verò ad nostræ sententię probationem & contrariæ ἐλέγχου faciamus accessum, pauca quædam circa quæstionem hanc ἀξιωματικόνευστα præmittemus.

LIII.

I. De phrasibus Papicolarum ambiguïs. Modò enim affirmant, fidem justificantem à charitate separari posse, modò idipsum negant, dicentes, nos fide non informi justificari, sed tantùm formatâ, quæ cum charitate perpetuò sit conjuncta. Sic igitur ambiguitatibus ludunt & simplicioribus fucum faciunt. Nam dupliciter aliquid justificare dicunt. 1. *Dispositivè*, vel per modum dispositionis, hominem præparantis & ad recipiendum habitum justitiæ idoneum efficientis. 2. *Formaliter*, vel per modum formæ, quæ ex injusto justum constituit. Quo præsupposito statuunt, *fidem justificantem dispositivè, separari posse à charitate, sed fidem justificantem formaliter, quippe quæ charitatem semper includat, separari non posse.* At verò fides genuina non justificat dispositivè, sed ὀργανικῶς & vim justificandi non habet à charitate, sed per γοίαν: & fidem charitate formatam non agnoscimus, ideoq; manet quæstio, de fide in se & quoad essentiam suam consideratâ, num illa queat à charitate separari?

LIV.

II. De falsis eorundem hypothefibus. Præsupponunt 1. *fidem salvificã nihil aliud esse, quàm notitiã & assensum, quem in hypocritis separatim, sine bonis operib. existere non negamus.* At verò nudus assensus non absolvit quidditatem veræ fidei, sed consistit illa potissimùm in fiducia, vel fiduciali apprehensione Christi, ut alibi probatum. Hinc ergò impossibile est, fidem salvificam à charitate disjungi, & cum peccatis mortalibus conjungi, quia vera cordis fiducia illam mox gignit, hæc excludit. Proinde fundamentum erroris hujus aliorumque est vitiosa fidei salvificæ descriptio, in scholis Papicolarum, tradi solita. 2. *Fidem in se & per se justificare non nisi dispositivè.* At verò de dispositionibus meritorijs, subjectum præparantibus

& habile reddentibus, ut fit in alteratione physica, nihil novis Scriptura. Deinde tradit hæc ipsa, fidem justificare non per modum dispositionis, sed quatenus fertur in meritum Christi, & illud apprehendit: quod apprehensum mox imputatur, & sic peccator veniam delictorum consequitur, ex quo patet, fidem justificare instrumentaliter, quia ex parte nostri organum est, quo solo coram Deo justi reddimur.

L V.

Quibus rectè ponderatis, ultrò consequitur, hanc quaestionem non esse λογωμαχίαν, sed multos sub illa errores occultari à Romanensibus. Nam 1. dum contendunt, fidem à charitate se jungi posse, atq; sic informem fieri, hoc ipso innuunt, quòd sola charitas sit forma fidei, & hæc ab illà suam accipiat perfectionem, qui error maximus. 2. Volunt hinc inferre quòd fides justificans, de quà Paulus loquitur, in solo consistat assensu, neq; plus involvat præter ipsum, quoniam fides illa à charitate possit abjungi, Unde 3. mox colligunt, solam fidem, & quidem sensu Apostolico sumtam, non justificare, siquidem & peccatoribus ea competat, qui salutis nequeunt hæredes fieri. Controversia igitur hæc gravissima est, & status ita informari poterit breviter: *An fides justificans, sensu Paulino sumta, cadat in peccatores impœnitentes, adeoq; separatim existere possit sine charitate?*

LVI.

III. De ἀντιφάσει doctrinæ Calvinisticæ. Statuunt nobiscum contra Pontificios, fidem justificantem nunquam solam esse, sed peccata mortalia excludere, & bona opera perpetuò habere adjuncta. Ita enim scribit Calvinus in antidoto Concilij ad can. ii. sess. 6. *Sola fides est, quæ justificat, fides tamen, quæ justificat, non est sola. Sicut calor solis solus est, qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in sole, sed cum splendore.* Porro autem in loco de Prædestinatione disputant, in electis licet mortaliter peccent, exemplo Davidis adulterium committentis & Petri abnegantis, remanere tamen quoddam fidei semen, nec illos
aut

ant fidem aut gratiam Spiritus Sancti per peccata mortalia
penitus excutere. Calvinus ipse in prædico antidoto ad can.
28. Sess. 6. docet, semen aliquod fidei manere inter gravissimos
lappus, atque id. quantulumcunque est, particulam esse vera &
vivæ fidei. Beza in Colloq. Mompelg. pag. 380. dixit: *Qui se-*
mel à Deo verâ fide donantur, eam nunquam amplius amittere possunt. Et
paulò post: *Ego dico, Davidem in adulterio perpetrato retinuisse fidem &*
Spiritum Sanctum neq; eam amisisse. Trelecius lib. 3. Inst. loco de
Fide idem affirmat: *Eatenus, inquit, firma est fides in omnibus, et neq;*
totaliter, nec finaliter ullo unquam tempore amitti queat. Secundum
gradum aliquem, sæpè minuitur: perire autem secundum formam nun-
quam potest. Jam verò duæ assertiones istæ prorsus sunt con-
trariæ & se invicem tollunt. Si enim vera & viva fides cum
peccatis mortalibus immota consistere potest in electis, uti-
que falsum est, quod scribunt contra Pontificios, fidem salvifi-
ficam cum peccatis mortiferis non cohærere & à charitate
separari non posse. Argumentum igitur tale nectimus:
Quæ fides cohærere potest cum peccatis mortalibus, ea & se-
parari potest à charitate & bonis operibus. Sed fides vera &
viva in electis, cohærere potest cum peccatis mortalibus, ex
mente Calvini & asseclarum. Ergò fides vera & viva sepa-
rari potest à charitate & bonis operibus. Minor certa est ex op-
positione perpetuâ peccatorum mortalium & bonorum ope-
rum. Ubi enim adsunt illa, ibi hæc abesse certum est, cum
contraria se invicem tollant & excludant. Aut ergò fatean-
tur cum Pontificijs, fidem justificantem solam esse posse sine
bonis operibus, quod tamen strenuè negat Calvinus, & ne-
gandum necessario est, si doctrina Justificationis gratuita
illæsa manere debet: aut agnoscant tandem aliquando absur-
ditatem crassi illius erroris, quòd fides in electis mortaliter
peccantibus non amittatur vel excutatur.

LVII.

His ita breviter explicatis, ipsam sententiæ nostræ confirma-
tionem jam subjungemus, & peti potest illa 1. à dictis scripturæ.
2. à ra-

2. à rationibus immotis, 3. à Patrum. 4. ab adversariorum
testimonijs. 5. addemus brevem præcipuarum objectionum
Πίλωον.

LIX.

I. DICTA SCRIPTURÆ.

Dicta quæ innuunt, fidem salvificam nec sine bonis operi-
bus existere, nec cum peccatis mortalibus cohærere posse.
multa passim inveniuntur: nos illa memoriæ causâ, in quinque
distinctas classes distribuemus.

LIX.

Prima continet illa dicta, quæ expressè innu-
unt fidem veram per charitatem sese semper exe-
rere, & sine bonis operibus mortuam esse.

Huc I. referimus Gal. 5. ver. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio
aliquid valet neque præputium, ἀλλὰ τῆς δι' ἀγάπης ἐνεργημένης.*
Sed fides, quæ per charitatem operatur aut efficax est. Hic habemus
descriptionem veræ fidei, quod nempe semper sit operosa & in
exercitio charitatis occupata. Quare fides non ἐνεργημένη
δι' ἀγάπης non est vera fides, nec in Christo valet aut justificat,
sed pro hypocriticâ meritò censetur.

2. Jacob. 2. ver. 17. *Fides si non habeat opera, mortua est in se-
metipsâ.* Et ver. 26. *Fides sine operibus mortua est.* Hinc ita col-
ligimus: *Quæ fides viva est, ea tantum pro verâ & justificante
fide haberi debet.* Sed sola fides cum bonis operibus con-
iuncta, est viva, dicente Apostolo. *Quare & illa tantum fi-
des, quæ cum bonis operibus coniuncta, pro verâ & justifican-
te fide haberi debet.* Aut igitur concedant adversarij, fidem
mortuam justificare, aut fidem justificantem semper vivâ esse
& sine operibus nunquam existere. Prius illud absurdum est,
quia fidei mortuæ nulla inest efficacia, vitam in nobis ope-
randi, vel justificandi. Ergo posterius hoc necessariò assumen-
dum erit.

Excipit

Excipit Bellarm. l. 1. de Justif. c. 15. col. 983. D. fidem dici mortuam, non quomodo homo dicitur mortuus, qui post mortem non est, sed quomodo corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non vivit. Resp. Concedimus fidem seu generalem assensum, à charitate sejunctum non esse planè non Ens & nihilum; Interim tamen non est vera, non est salvifica fides juxta Apostolum, de quâ fide solâ hîc est controversia. Nec enim quæritur, An notitia & assensus separari possit à bonis operibus, cum hoc pacto & dæmones credant, qui spiritus impurissimi *Iac. 2. v. 19.* sed hoc indubium vocatur, *An fides justificans & salvans esse possit absq; charitate?* Negat hoc Apostolus *v. 15.* & addit rationem *v. 17.* quia fides sine operibus mortua sit.

3. Non incommodè referri ad hanc classem potest illud Servatoris *Luc. 7. v. 47.* *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Hîc dilectio statuitur perpetuum factæ remissionis consequens & adjunctum. Remittuntur autem peccata per fidem, unde illi peccatrici dicebatur *v. ult.* *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Quare hîc ordo indissolubilis 1. Fides hauritur ex verbo. 2. Per fidem datur remissio peccatorum. 3. Hanc confestim & semper comitatur vera dilectio. Quare si hæc absit, unâ abesse veniam, & veniæ fundamentum, fidem, certò consequitur.

LX.

In secunda Classe locamus illa testimonia, in quibus à remotione bonorum operum ad remotionem ipsius fidei salvificæ argumentantur Apostoli.

Talia sunt 1. *Tim. 5. v. 8.* *Si quis suorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Hinc ultrò fluit, quòd carens dilectione erga suos, careat verâ fide justificante. Regerit Bellar. col. 987. B. *quòd improbi fidem negare dicantur non corde vel ore, sed opere, quoniam non vivunt, ut fides vivendum docet.* Resp. Uti hoc non negamus, sic rectè ex illo inferimus, quòd ἀσέβης fidem frustrâ jactitet, quia charitatis officia suis non exhibet. Qui enim fidem negat, is cercè verâ & justificante fide non est præditus.

G

Sed

Sed omnis ἀσδογ & charitate destitutus fidem negat juxta
Apostolum, Quare omnis ἀσδογ & charitate destitutus ve-
râ & justificante fide non est præditus.

1. Joh. 2. v. 3. *In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata
ejus observemus: Qui dicit, se nosse eum, & mandata ejus non custodit, men-
dax est, & in hoc veritas non est.* Per τὸ nosse Deum, notatur salu-
taris cognitio Dei & fides salvifica, quæ ab unâ parte, nimirum
notitiâ, denominatur. Ast hanc cum observatione mandato-
rum sic conjunctam esse, Apostolus innuit, ut mendacij statim
accusari possit, qui gloriatur de cognitione, nec tamen obser-
vat mandata Dei. Cohærent ergo invicem fides & charitas: per
illam noscimus Deum per hanc facimus jussa Dei. Illa locum
non habet amplius, nisi hæc eam comitetur & subsequatur.

Excipit Bellarminus col. 987. D. Iohannem loqui de notitiâ fa-
miliaritatis & amicitie. Et Costerus p. 82. sermonem esse, de tali notitiâ,
quæ sit sapor & gustus spiritualis, peculiareq; donum Spiritus Sancti, inter-
na dulcedo, mentisq; quies & abundantia pacis, quâ fruuntur soli boni, &
carent omnes mali. Resp. Nihil hæc contra nos, quia isthæc fami-
liaritatis notitia cum sapore spirituali conjuncta, quâ homo
Deum familiariter agnoscit, & illi confidit, veræ ac justifican-
tis fidei propria est, unde argumentum nostrum magis illu-
stratur & roboratur hoc modo: *Notitia familiaritatis semper
conjuncta est cum studio pietatis, concedente Bellarmino: Sed
fides vera & justificans est notitia familiaritatis, innuente
Apostolo. Quare fides vera & justificans semper conjuncta est
cum studio pietatis.*

Similis locus habetur 1. Joh. 4. v. 8. *Qui non diligit, non
novit Deum, quoniam Deus charitas est.* Hic Apostolus à remotio-
ne charitatis ad remotionem salvificæ cognitionis seu fidei
conceptis verbis argumentatur. Ergo ex adverso, qui novit
Deum verè & per apprehensionem salutaris fidei, is semper ve-
rè diligit. Eodem modo concludit Apostolus, 1. Joh. 3. vers. 6.
*Omnis qui in eo manet non peccat, & omnis qui peccat, non vidit eum, nec
cognovit eum.*

Tertia

LXI.

Tertia classis constat ijs dictis, in quibus fides cum regeneratione perpetuò conjunctam, omnesque credentes per fidem simul renatos & filios Dei esse innuitur.

Classis tertia dictorum, de regeneratione loquentium.

Talia sunt Johan. 1. v. 12. 13. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui ex DEO nati sunt.* Gal. 3. vers. 26. *Omnes estis filij Dei per fidem.* 1. Joh. 5. vers. 1. *Omnis qui credit, quoniam IESVS est CHRISTVS, ex Deo natus est.* Ex hisce ita inferimus: *Quisquis ex DEO natus est, peccatum non facit, ut disertè scribitur 1. Iohan. 3. vers. 9. 10. & 6. 5. vers. 18.* Sed omnis credens, per fidem ex DEO natus est, vidictorum modò citatorum. *Quare omnis credens peccatum non facit, & per consequens vera fides cum peccatis mortalibus consistere nequit.* Rursus: *Qui ex DEO natus est, DEUM diligit 1. Iohan. 4. vers. 7. 8.* Sed omnis verè credens ex Deo natus est. *Quare omnis verè credens DEUM diligit, ideoque fides vera nunquam à charitate separari potest.*

Bellarminus excipit col 987. Apostolum loqui de fide formatâ, quæ per dilectionem operatur. Resp. Fatemur hoc, quia omnis vera fides formata est, verùm non per charitatem, ut suprâ ostensum, sed per Christi apprehensionem, licet per charitatem operetur, & in illâ, velut in effectu, sese conspiciendam præbeat. Proinde ex illâ Bellarmini concessione ita colligimus: *Omnis fides formata est cum charitate conjuncta. Sed omnis fides justificans est fides formata. Quare omnis fides justificans est cum charitate conjuncta.*

LXII.

In quartam classem reponimus illa testimonia, quibus tales fidei tribuuntur fructus & effectus, qui non nisi pijs, Deum diligentibus & benè operantibus conveniunt.

Classis quarta dictorum de fructibus fidei.

G r

Tales

Tales sunt. 1. Effusio Spiritus Sancti. Gal. 3 v. 2. An ex operibus
Hi sunt 1. legis Spiritum accepistis an ex auditu fidei? v. 14. pollicitationem Spiritus
Effusio Spi- accipimus per fidem. Gal. 4 v. 6. Quoniam estis filij, (sumus autem per
ritus S. fidem Gal. 3 v. 26.) misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra. Ephes. 1.
v. 13. Credentes signati estis Spiritu promissionis &c. In quocunque
autem habitat Spiritus Sanctus, is charitatem exercet, in novi-
tate vitæ ambulat, & à peccatis mortalibus abstinet. At verò
in omni credente Spiritus Sanctus habitat, ut allegata dicta,
evincunt. Quare omnis credens charitatem exercet, in no-
vitate vitæ ambulat, & à peccatis mortalibus abstinet, undè
porrò sequitur, fidem veram & justificantem separari non pos-
se vel à gratiosa καλομνησθ Spiritus Sancti, vel à charitate & bo-
nis operibus.

2. Iustifica-
tio.

2. Peccatorum remissio & justificatio. Act. 10. v. 43. Huic omnes
Propheta testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per no-
men ejus omnes, qui credunt in eum. Rom. 4. v. 5. credenti reputatur fides
ad justitiam. Rom. 10. v. 4. Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.
Cuicunque autem peccata remittuntur, & qui actu jam justifi-
catur, eum peccatis mortalibus valedicere oportet, quia pec-
catores impenitentes veniam delictorum non consequun-
tur. Sed omni credenti remittuntur peccata. Omnem igitur
credentem peccatis mortalibus valedicere oportet.

3. Accessus
ad Deum.

3. Accessus ad Deum & tranquillitas conscientie Rom. 5. v. 1. 2. Iusti-
ficati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Chri-
stum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in quâ sta-
mus & gloriamur. Expresse hinc fidei, tanquam fructus, attribu-
itur 1. εἰρήνη τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ δεοῦ. 2. ἀνεπηρώτων ἐν χάριτι. Qui verò
peccatis mortalibus scienter indulget, non placatum sed ira-
tum super se habet Deum, neque accedit ad gratiam, sed potius
recedit ab illa, siquidem Deus odio habet omnes, qui operan-
tur iniquitatem, perdit loquentem mendacium, virum sangui-
num & dolosum abominatur Dominus, Psal. 5. v. 7.

4. Illumina-
tio.

4. Illuminatio. Matth. 5 v. 16. Luceat lux vestra coram hominibus, ut
videant vestra bona opera. Per lucem, si dictum Christi ad fideles
quosvis accommodetur, plerique intelligunt fidem salvifi-
cam, quæ lucet ἐμὴ ἡμέρα, cum per bona opera se exerit. Qua-
re uti

re uti lux, ubicunqu e est, radios semper spargit & diffundit: sic fides bonorum operum jubar nunquam non emittit.

5. *Cordium purificatio*. Act. 15. v. 9. *Deus fide purificat corda*. Si igitur munda sunt corda, quæ fide prædita, utique fides cum immundis verbis & operibus consistere haud poterit. Bonus enim homo de bono thesauro cordis profert bona, Matth. 12. v. 34. 5. Cordium purificatio.

6. *Gratiosa inhabitatio*. Eph. 3. v. 17. *Per fidem habitat Christus in cordibus nostris*. Ubi verò regnant peccata mortalia, ibi Christus gratiosè præsens non est, ideoque nec vera fides. Et contra, Ubi habitat ille, ibi & Spiritus Sanctus habitat, ibi & fructus Spiritus Sancti apparent, quæ sunt charitas, gaudium, pax, patientia &c. Gal. 5. v. 22. & seqq. 6. Gratiosa inhabitatio.

7. *Spiritualis vita*, Gal. 2. v. 20. *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus, vitam autem quam nunc vivo in carne, in fide vivo filij Dei*. Colos. 2. v. 12. *Consepulti Christo in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem*. 1. Joh. 5. v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, v. 11. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus*, v. 13. *Hæc scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomen filij Dei*. Consistit autem hæc spiritualis vita, in novitate spiritus & bonis operibus, declarante Apostolo Rom. 6. v. 4. & seqq. Quicumque ergò fide justificante præditus est, is vivit spiritualiter, hoc est, in novitate vitæ ambulat & peccatis mortalibus non indulget. Tum enim vivunt pii, cum spiritu facta carnis mortificant, Rom. 8. v. 13. 7. Spiritualis vita.

8. *Cælestis benedictio*, Gal. 3. v. 9. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fidelis Abrahamo*. Hæc benedictio includit omnia præcedentia beneficia, gratuitam adoptionem, justificationem, & spiritualem vitam, quæ peccatoribus voluntariis minimè conveniunt, quippè qui non sunt benedicti, sed potius subjacent maledictionibus descriptis Lev. 26. & Deut. 27. 8. Cælestis benedictio.

9. *Confusionis remotio*, Rom. 9. v. 33. c. 10. v. 11. 1. Petr. 2. v. 6. *Qui credit in Christum, non confundetur*. Omnes autem peccatores & charitate carentes confunduntur, quia peccati fructus est erubescencia, confusio & mors Rom. 6. v. 21. Quare fides non confundens & peccata confundentia se invicem tollunt, & simul in uno subjecto morari nequeunt. Hinc Origenes l. 8. in Epist. ad Rom. c. 10. *Omnis qui credit in eum, non erubescit: erubescit autem o-*

mnis, qui peccat. Ergo qui adhuc peccati ruborem intuerit, credere non vi-
desur,

10. Satanae
& mundi
victoria.

10. Satanae & mundi victoria Ephes. 6. v. 16. In omnibus sumentes
scutum fidei, in quo poteritis omnia tela nequissimi ignita extinguere. Te-
la verò diaboli sunt pravæ suggestiones & varia peccatorum
genera, ad quæ sollicitat. 1. Joha 5. v. 4 5. Hæc est victoria, quæ vincit
mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quo-
niam Iesus est filius Dei? Mundus verò nihil aliud est, quàm sta-
bulum pessimorum hominum, dicente Luthero. Omne quod
est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia ocu-
lorum, & superbia vitæ, 1. Iob 2. v. 6: Quare ubi pravæ suggesti-
onibus obtemperatur, ubi peccatis mundi adhuc indulgetur,
ibi tela Satanae nondum extincta, nondum devictus est mun-
dus, ideoque vera fides locum ibi nullum invenit, & contra, Vi-
va est & victrix, si modò vera, fides.

11. Christia-
na fortitudo
& perseve-
rantia.

11. Christiana fortitudo & perseverantia. 2. Cor. 1. v. ult. ἡ πίστις
ἐσὶν ἡ ἀρετή, stas fide. Stare autem nihil aliud est, quàm pie vive-
re, adversus tentationes consistere, in Christo fortem esse, Sa-
tanam mundumque vincere, & in verà sanctitate perseverare:
sicut labi & cadere phrasi Scripturæ est peccare & damnatio-
nis reum fieri. Quod si ergò præsentia fidei nos stare facit,
excludet utique peccata mortalia, quippè quæ nos faciunt ca-
dere & stationem tollunt. Similis locus est Coloss. 2. v. 7. con-
firmati estis fide, & 1. Petr. 1. v. 5 In virtute Dei custodimini per fidem in sa-
lutem. Qui verò mortaliter peccant, ij non custodiuntur, sed
excidunt salute, & propterea fide præditi esse haud possunt.

LXIII.

Classis quin-
ta dictorum,
de sine fidei,
quæ salus
æterna.

Quinta classis continere potest illa Scripturæ
dicta, quæ affirmant, omnes credentes æternùm
salvos & beatæ vitæ participes fore. Ita docetur
Marc. 16 v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Joh. 3.
v. 36. Omnis qui credit in filium Dei, non perit, sed habet vitam æternam.
Johan. 5. vers. 24. Amen Amen dico vobis, qui sermonem meum au-
dit &

dit & credit ei, qui misit me, habet vitam eternam & in iudicium non venit: sed transit à morte in vitam. Ephes. 2. vers. 8. Gratiâ estis salvati per fidem. 1. Petr. 1. vers. 8. Credentes exultatis lætitiâ inenarrabili, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum. Hebr. 4. vers. 3. Ingrediemur in requiem, qui credimus. 1. Joh. 5. v. 12. Qui habet filium, habet vitam. Huc refertur potest & illud 2. Thess. 2. v. 13. ubi in fide vel per fidem veritatis dicimur electi in salutem, quæ ἐκλογὴ ipem salutis parit indubiam, quia quos Deus prædestinavit, hos & glorificavit. Rom. 8. v. 30. Ex hisce verò ita inferimus: Omnes salvandi & futuri hæredes vitæ sunt charitate præditi & vitant peccata mortalia, quia impij, caro & sanguis, regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 6. v. 10. & cap. 15. v. 51. Gal. 5. v. 22. Atqui omnes credentes salvantur, & hæredes erunt vitæ æternæ. Ergo credentes omnes sunt charitate præditi & vitant peccata mortalia.

LXIV.

II. RATIONES.

1. Ab absurdo. Si fides justificans separari potest à charitate, sequeretur tum in Epicureos, tum in ipsos Dæmones cadere fidem justificantem. At verò hac positâ, ponitur salus & beatitudo æterna. Cogitandum igitur Pontificiis erit de novo cœlo, in quod fideles Epicurei, & fideles Diaboli assumantur. Cœlo enim carere, qui fide non carent, iniquum foret. At verò in cœlum beatorum isti non recipientur, quia in illud nihil inquinatum introibit, Apoc. 21. v. 26. Quare aliud & peculiare cœlum pro ijs erit ædificandum.

1. Ab absurdo.

LXV.

2. A tenebris spiritualibus. Quicumque versatur in tenebris, ille destituitur fide justificante, vi oppositionis Apostolicæ 1. Joh. 1. v. 4. 5. c. 3. v. 19. 20. At verò impij, dilectione verâ non præditi, licet se verbo Dei assensum præbere dicant, versantur tamen in tenebris. Nam quicumque dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est, usque adhuc 1. Iohan. 2. v. 9. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat v. 11. Quare impij, dilectione verâ non præditi, justificante fide penitus destituuntur.

2. A tenebris spiritualibus.

LXVI.

3. *ANATYRA*
fidei salvifi-
ca.

3. *A naturâ fidei salvificæ.* Hanc esse apprehensionem meriti Christi, supra membro 1. probavimus. At verò Epicurei & impii, etsi jactant assensum, non tamen sibi applicant Christi meritum. Et quî possent, cum talis apprehensio per peccata mortalia semper impediatur & per solum assensum non perficiatur? Qui etiam summum bonum verè agnoscit, ejusque particeps fit per fidem, quomodo non amplecteretur illud per charitatem? Cum ergò beneficia Christi sibi non adpropriet impii, ultrò sequitur, fide illos justificante, prorsus esse destitutos.

III. TESTIMONIA PATRUM.

Irenæus l. 4. c. 14. *Credere est facere voluntatem Christi.* Clemens Alexandrinus in Protrept. *πίστις ἰσγοῦσιν οἰεῖ* Fides efficit sanctos. Origenes l. 4. in Epist. ad Rom. c. 4. part. 2. *Indicium veræ fidei est, ubi non delinquitur, sicut econtrâ, ubi delinquitur, infidelitatis indicium est.* Cyprianus tract. 3. de simplicit. prælat; *Quomodo dicit, se credere in Christum, qui non facit, quod Christus facere præcepit?* Hieronymus l. 14. Comment. in Ezech. *Quis potest credere sine operibus?* Et in cap. 5. ad Gal. *Cum dilectio procul absuerit, & fides pariter abscedit.* Idem in proœmium super Lament. Jere. scribit, *nudari etiam fide animam fidelem, cum à Deo recedit per peccatum.* Chrysostomus in 1. ad Thess. *Fides sine operibus, figura solum est absq; virtute.* Idem serm. de fide & lege naturæ: *Quàmprimùm credideris, bonis operibus eris ornatus.* Augustinus l. de Fide & bonis operibus, c. 16. *Fides sine charitate, est fides demonum, non Christianorum.* L. 83. quæst. 76. *Iustificatus per fidem, non potest nisi justè deinceps operari.* In Joh. tract. 29. *Credere in Christum, est credendo amare, credendo in illum ire, & membrum ejus effici.* Rursus tract. 61. *Qui fidem habet sine spe & dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.* Gregor. Homil. 22. in Evang. *Quantum credimus, tantum diligimus.*

IV. TESTIMONIA ADVERSARIORUM.

Lombardus lib. 3. sentent. dist. 23. lit. D. *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adherere, & membris eius incorporari*. Quare fides in Deum à charitate, juxta Lombardum, non est separata. Scotus in 3. distinct. 36. quæst. unic. art. 4. censet, *nunquam fidem infundi divinitus sine charitate*. Eiusdem sententiæ est Durandus in 3. dist. 23. quæst. 6. num. 9. Ratio ejus, *quoniam fides homini confertur, ut contendat ad beatitudinem*. Itaq; non datur illi sine charitate & spe, quæ virtutes in salvandis etiam requiruntur. Hos sequitur Vega l. 7. super sess. 6. Concil. Trid. c. 28. qui non existimat probabile, ut Deus tam præclaro fidei dono afficiat inimicum suum, nempe peccatorem charitate destitutum. Hanc sententiam Gregorius de Valentia T. 3. disp. quæst. 6. punct. 2. col. 462. A. vocat *probabilem*, quo sanè pacto sibi ipsi contradicit. Si enim fides vera sine charitate potest existere, quomodo probabile est, fidem sine charitate nunquam dari vel infundi? Quod enim primùm dari nequit sine charitate, illud & deinceps sine illa nequit possideri, siquidem alia non datur causa, cur alterum sine altero non detur, quàm cohæsiō necessaria, nunquam rumpenda.

Georgius Cassander, in consult. art. 4. de Justif. scribit: *Illud accuratè observetur, si solâ fide apud populū homo justificari dicatur, illud simul insulcetur, fidem tamen si sola justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessario pœnitentiam & melioris vitæ propositum adjunctum habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam fidei imaginem pro solidâ & expressâ fide amplectamur*. Schopperus, presbyter Colonien-
sis, in explic. Epist. in festo S. Andreæ p. 2. *Non est otiosa vera fides, sed cognitum Deum invocat, hunc laudat, huic gratias agit, huic servit, ad hujus beneplacitum totam vitam componit, hoc est, ad hujusmodi effectus credentes impellit*. Johannes Ferus l. 2. in Matth. *Non semper fides est, quod nos fidem dicimus: Fidem nos dicimus, assentire ijs, quæ divinis historiis produntur, & quæ Ecclesia credenda proponit*. Hanc Scholastici informem. Iacobus mortuam appellat fidem. *Qualis autem est, quæ mortua est, formaq; suâ substantiali caret? Profectò non fides, sed opinio vana est*. Longè aliter de fide loquitur Scriptura: *secundum Scripturam enim fides non est aliud, nisi fiducia misericordiæ divinæ promissæ in Christo*. Michaël Medina in Apologetico suo, citate Sixto Serrensi l. 6. Bibl. sanctæ p. 491. *Quis, Deum immortalē, vel trimesstris christianus ignorat,*

H rectè

rectè & Christianissimè dici, peccatores quoscunque eâ parte, quâ obstinatissimè peccant, fidem christianam amittere? Vide plura ibidem, & pag. 496.

LXIX.

V. OBJECTIONES PONTIFICIORUM.

Inveniuntur præcipua apud Bellarminum l. 1. de Iustific. c. 15. & Gregor de Valentia T. 3. in Thomam, disp. 1. quæst. 4. punct. 4. ad quorum ratiunculas breviter respondebimus.

1. *Obiectio ex loco Ioh. 12. v. 42.* Urgent locum Joh. 12. v. 42. Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur. Hic Evangelista, inquit Bellarminus col 980. A. restatur, in illis Principibus fuisse fidem absque charitate.

Resp. 1. Loquitur Johannes de historico tantum assensu, quo multi Christum habuerunt pro magno Prophetâ & Messia mundi, non autem de fide justificante, quippè quæ cum oris confessione, quæ tamen deerat illis Principibus, in verè firmiterque credentibus semper conjuncta, Psal. 116. v. 10. 2. Cor. 4. v. 13. Credidi, propter quod locutus sum.

Credere in Deum nõ semper notat fidem justificantem.
2. Phrasis, credere in Deum & Christum, licet plerumq; fidem justificantem innuat, quo sensu in illo ipso Johannis capite aliquoties sumitur, eum tamen significatum non habet perpetuum, id quod fatetur Franciscus Ribera in cap. 3. Josuæ num. 29. & ex illo reperit Pererius in Genes. c. 15. v. 6. m. p. 532. Nego, inquit, credere in Deo, semper in sacris literis vel aliam vel sublimiorem habere significationem, quàm credere Deo, quod habet græca & latina translatio. Quod enim Græci & Latini dicunt, credere alicui, idem omninò significare volentes Hebræi, dicunt credere in aliquo, vel in aliquem, vel in nomine, sive in nomen alicujus. Hoc ipsum confirmat testimoniis Scripturæ, Exod. 14. v. ult. c. 19. v. 9 c. 4. v. 8. Psal. 105. v. 25. Es. 53. v. 1. Et paulò post subjicit, de fide historicâ, quam vocat informem, loqui Iohannem c. 12. cum ait, Principes multos credidisse in Christum. Idem fatetur Gregorius de Valentia T. 3. disp. 1. quæst. 2. punct. 1. col. 364. 365.

3. Nihil absurdi esset, si de verè credentibus, sed infirmis locus ille exponeretur, Haut enim rarò fit ut in Ecclesiâ pressâ multi lateant, qui publicè fidem non confitentur ex infirmitate, ob quam tamen non statim excutitur vel amittitur fides justificans, Ita factum tempore Eliæ 1. Reg. 19. v. 18, ubi septem milia

lia verorum fidelium fuerunt, sed ignota Eliæ, quia fidem ex metu non confitebantur publicè. Ita contigit Arianismi tempore, ubi Christiani latuerunt in cavernis & specubus terre; Imò etiam nū sub Papatu multi sunt, qui in solo Christo spem ponunt, sed propter Papæ tyrannidem confiteri non audent. Tales infirmos & Christi tempore fuisse, non est improbabile: nec tamen hinc sequitur, quòd fide vivâ & justificante penitus fuerint destituti. Notandum igitur, quod *non confiteri*, sumitur dupliciter. 1. *negativè*, notans merum silentium & quandam delitescentiam tempore persecutionis. 2. *positivè*, vel cum contrarii positione, ubi non confiteri idem est, quod abnegare. Hoc posterius pugnat cum fide salvifica, *Matth. 10. v. 33.* sed prius illud fidem non tollit protinus, ut allegata infirmorum exempla edocent. His præsuppositis, citra omnem absurditatem dici potest, nonnullos ex Pharisæis verè in Christum credidisse, sed ad tempus siluisse & latuisse ex infirmitate & metu excommunicationis, non tamen Christum publicè abnegasse, vel doctrinam ejus improbasse. Hoc n. fidem salvificam tolleretur, sed prius illud nō statim eam destruit. Ita Nicodemus venit noctu *Ioh. 3. v. 2* & nihilominus erat verus Christi discipulus *Ioh. 7. v. 50. c. 19. v. 39.* Sic in occulto latuit Joseph Arimathæus *Ioh. 19. v. 38* & alii plures. Hæc igitur responsio ex abundantia potest addi; priores tamè magis solidas puto & textui convenientiores, quia de Pharisæis istis dicitur *v. 43. Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, id quod de veris fidelibus affirmari nequit, juxta *Joh. 5. v. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem queritis & gloriam, que à solo Deo est, nō queritis?* Ubi tamè quidam respondent, dilectionem gloriæ humanæ non de omnibus, sed de priori parte intelligendam esse.

LXX.

II. Objiciunt dictum ex *1. Cor. 13. v. 2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; unde mox inferunt, fidem veram à charitate abjungì posse.*

2. *Obje-
ctio
ex 1. Cor. 13.
v. 2.*

Resp. 1. Logici habent regulam: *Conditionalis nihil ponit.* At verò locutio Apostoli est conditionata. Per se igitur nihil ponit, sed videtur Paulus à conditione impossibili summam charitatis necessitatem inferre hoc sensu: *Si possibile esset, ut quis fidem omnem haberet sine charitate, tunc fides hujusmodi nihil prodesset.* Ita & de linguis Angelorum ait, *vers. 1. Si linguis hominum loquar*

H 2

& An-

& Angelorum &c. Hinc tamen non sequitur, quòd unus homo omnibus hominum aut Angelorum linguis loqui possit. Quare ineptus est Jesuuitarum discursus, quippè qui prædicationem hypotheticam mutat in categoricam, non secus ac si ex illà, Gal. 1. v. 8. *Si vel nos, vel Angelus de caelo aliud nobis evangelizet, anathema sit*; protinus quis inferre vellet, Apostolos aut Angelos, posse aliud & diversum Evangelium prædicare. Excipit Bellarminus col. 981. *non esse conditionem impossibilem, sed usitatam scripturis hyperbolem.* Resp. Hoc nudè affirmat, non sufficienter probat. Deinde si ad fidem miraculosam vult confugere, propria cædit vineta. Eam enim à charitate separari posse, non imus inficias; idem autem probandum est de fide justificante: quam si in locutione Pauli conditionatâ intelligas, non potest aliter dici, quàm Apostolum à conditione impossibili argumentari. Denique hyperbole Spiritui Sancto non facilè tribuenda est, siquidem mendacii speciem habet, quoniam dicitur aliquid præter vel supra id, quod verum est.

2. Si maximè categorica inde formetur prædicatio, respondere tamen possumus, quòd, *Apostolus nequaquam loquatur de fide justificante, sed de fide miraculorum, quæ fuit donum Spiritus singularis, quo præditi, ad invocationem Dei, edebant miracula necessaria.* Hanc fidem à charitate separari posse, & donum illud nonnunquam peccatoribus impiis concedi, ostendit exemplum *Bileami* Num. 23. & 24. *Caipha* Joh. 11. v. 49. multorum in nomine Christi dæmonia ejicientium, quos tamen ut operatores iniquitatis, rejiciet Christus in die ultimo Matth. 7. v. 22. Quòd autem Paulus de hac miraculorum fide loquatur, diffiteri non potuit Bellarminus l. 1. de gratiâ c. 10. Et l. 1. de Justif. c. 15. col. 981. B. expressè scribit: *Loquitur hoc loco Apostolus de fide, per quam miracula fiunt, ut patet ex illis verbis; Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Nec desunt rationes firmæ, quibus id ipsum probetur. Nam 1. Agitur ibi de charismatis extraordinariis: Tale verò non est fides justificans, sed miraculosa. 2. Adjectio Apostoli, *ut montes transferam*, id evidenter innuit. 3. Capite 12. v. 9. dicitur, quòd *fides* (de quâ pergit loqui c. 13. v. 1.) *aliis datur & aliis aliud χάρισμα.* At fides justificans datur omnibus

bus salvandis. Et Chrysoſtomus expreſſè ait, c. 12. v. 9. *fidem non dogmatum, ſed ſignorum intelligendam.* Hæc argumenta perſpicuè decent, licèt in fine cap. 13. v. ult. per fidem notetur etiam fides juſtificans, quod patet ex adjunctis duabus virtutibus, ſpe & charitate, in principio tamen & v. 1. ſermonem eſſe non niſi de fide miraculorum, ſicut adjuncta omnia oſtendunt, ſenſusque eſt. *Si quis maximè miracula ederet ſumma, tamen ſi fiant, non ex charitate in ædificationem Eccleſiæ, ſed oſtentationis gratiã, nihil prodeſſe iſta omnia.* Nec univerſalis, *ſi habuero omnem fidem,* indicat contrarium, quia eſt univerſalis non abſolutè, ſed limitatè, & intelligitur omnis fides chariſmatica: veluti per omnem ſcientiam, non innuitur quævis rerum omnium phyſicarum, medicarum cognitio, ſed tantùm *gratiæ* chariſmatica.

Quod verò porrò excipit Bellarminus col. 981. *fidem ſignorum nihil aliud eſſe, quàm ipſam veram fidem Chriſtianam, ſed excellentem:* in eo petit principium. Includit quidem ſemper notitiam & aſſenſum, ſed non ſemper veram & vivam fidem juſtificantem, de quã ſolã hîc controvertitur. Quæ de Apoſtolis aliisque ſanctis proferuntur exempla, ea ſunt particularia, nec probanda probant, nempè quòd in omnibus fides miraculorum cum fide vera & juſtificante ſit conjuncta.

LXXI.

III. Proferunt locum ex Jac. 2. v. 14. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat habere ſe, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſalvare illum?* Hinc inferunt, *fidem ſine operibus non juſtificare & tamen ſine operibus inveniri poſſe.* 3. Objeſtis
ex Jac. 2.
v. 14.

Reſp. 1. Non quidem rejicimus authoritatem Jacobi, meminiffe tamen debebant Pontificij ejus, quod Eufebius ſcribit l. 2. Hiſt. Eccl. c. 23. Epistolam Jacobi *vo Jevēdž.*

2. Jacobus non loquitur de fide juſtificante, ſed de hiſtorica & externã fidei profeſſione, uti patet ex primario hujus epistolæ ſcopo, ex ipſis phraſibus, ex integro contextu & allatis in illo rationibus. Thema ejus eſt: *Nos nudã Dei notitiã ſalutem non conſequi, neq; veram fidem eſſe, quæ ſit abſq; operibus, neq; nos tali fide coram Deo juſtificari.* Hoc probat 1. ab exemplo, v. 15. 16. quia

ille non habet veram fidem, qui fratri indigenti non subvenit, 2. quia fides sine operibus mortua est per se, v. 17. id est, mortua esse arguitur, v. 26. Nam causa effectu deficiente perit. 3. Quia ex operibus fides ostenditur v. 18. & perficitur, id est, perfecta declaratur v. 22. Homines enim nequeunt intueri corda, sed ex operibus judicant de fide. 4. quia Diaboli etiam credunt & cohorrescunt, v. 19. sæpè enim professus est Satan, Christum esse filium Dei, *Matth. 8. v. 29. Marc. 1. v. 24. Luc. 4. v. 34.* 5. quia Abraham justificatus, id est, justus declaratus est ex operibus, v. 21. id quod ostenditur ex Scripturæ testimonio *Gen. 22. v. 12. & c. 15. v. 6.* Et tandem ita concludit Apostolus v. 24. *Videtis igitur, quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum; quasi dicat, Si velis haberi pro homine verè Christiano & justo, non tantum externâ voce profitearis te baptizatum esse & in Christum credere (id enim Impiis etiam commune esse potest) sed opus est, ut hanc fidem tuam ostendas, exeras, declares, manifestam facias & probes bonis operibus, tanquam certis effectis. Ut enim respiratio & motus (quæ duo per *πνεῦμα* intelliguntur) certissimum signum sunt vitæ corporalis, adeò ut sine iis corpus sit mortuum v. 26. hoc est, illis absentibus vitam abesse constet; sic bona opera sunt signa veræ fidei, adeoque sine illis fides est mortua, id est, falsa & ficta esse deprehenditur.*

Bellarminus excipit, *col 982. C. & quinque ratiunculis* probare contendit, Jacobum non loqui de umbra quadam fidei (quod dicit velle Calvinum,) sed de verâ fide, quæ omninò justificet, si non desint cætera requisita. *Verum* nos paucis dicimus, Jacobum agere de professione fidei in genere, quam si comitentur bona opera, ut in Abrahamo contigit, tum est vera fides; sin minus, tum mortuam & hypocriticam fidem esse, concludit ipse Apostolus, ideoque Bellarmini argumenta nos non ferunt.

LXXII.

4. *Obiectio ex similitudinibus quæ docent in Ecclesia, multos esse hypocritas.*

IV. Argumentantur ex similitudinibus, *Matth. 3. 13. 22. 25.* quæ ostendunt, in Ecclesiâ simul esse bonos & malos. Omnes autem, qui sunt in Ecclesiâ, fidem habent & dicuntur fideles, nec enim pagani vel Ethnicis annumerari dicuntur. Quare fides eorum, unde dicuntur fideles, cum peccato, unde dicuntur mali, potest esse conjuncta.

Resp.

Resp. Loquuntur allegata dicta, de externâ tantum fi-
dei vel Christianæ religionis professione, ob quam fideles di-
cuntur omnes, qui sunt in visibili cætu Ecclesiæ. Ut igitur ab-
stractum *fides* vel notat historicam, vel salvificam fidem; ita
vox concreta *fidelis* eadem ambiguitate laborat. Nam *fidelis*
dicitur 1. *proprie*, qui credit in Christum, apprehendit ejus meri-
tum & ita justificatur. 2. *late*, qui recipit doctrinam Christia-
nam & profitetur exterius. Hoc sensu omnes Christiani pos-
sunt dici fideles, etiam hæretici, quia non sunt extra Ecclesi-
am. Verum de fide historicâ & historicè fidelibus nobis non
est sermo, sed tantum de salvificâ & justificante, quam cum
peccatis mortalibus consistere posse, similitudines illæ nequa-
quam probant.

Regerit Bellarminus col. 984. B. 1. nos principium petere, quod
sola fides benevolentia sit vera & proprie dicta fides. Verum
hoc Disputat. primâ satis demonstravimus. 2. Nunquam re-
prehendi malos hoc nomine, quod fidem amiserint, sed quod opera omiserint.
Resp. 1. Propter operum omissionem frequentius culpantur
mali, quoniam illa incurrunt in oculos, cum fides contra in-
corde lateat. 2. Nec adeo infrequens est in Scripturis, malos
argui ob veræ fidei carentiam. Hoc Spiritus Sancti officium
esse dicitur *Ioh. 16. v. 9.* propterea reprehenduntur Judæi *Rom. 11.*
v. 20. Alexander & Hymenæus *1. Tim. 1. v. 19.* omnes suorum cu-
ram non habentes *1. Tim. 5. v. 8.*

LXXIII.

V. Dicunt, dilectionem non oriri ex fide, tanquam propriam effectum s. Objectio,
ex propria causa, sed fidem tantum disponere & inclinare ad diligendum, id- Fidem non
eoque, invicem separari posse optime. esse causam

Resp. 1. Fatemur, propriam charitatis causam esse Spiri- dilectionis,
tus inhabitantis gratiâ & voluntatē renatam, non tamē ab hac sed inclina-
efficientiâ excludi debet fides, quippe in quâ nostra renovatio re tantum
potissimum consistit, & quæ per charitatem sese semper exerit, ad diligen-
dum.

2. Si maximè fides nō esset propria charitatis causa, non
tamen hinc sequeretur, illa protinus separari posse. Nā multa
cohærent indivulsè & inseparabiliter, licet se non habeant ut
causa & effectus modò habeant sese ut accidentia in uno sub-
jecto semper & infallibiliter concurrentia.

3. Bellar-

3. Bellarminus per fidem intelligit nudam notitiam & assensum, quem sanè ad charitatem tantùm inclinare non negamus; sed fidei salvificæ, quã Christum recipimus, longè alia est ratio. Ea enim protinus gignit amorem ejus, qui tam liberaliter nobis remittit nostrum debitum, *Luc. 7. v. 43.*

LXXIV.

6. *Obiectio, ab absurdo.* VI. Colligunt ab absurdo, quia, si necessariò cum fide conjuncta sit dilectio, inde sequi existimant, justificationem etiam pendere ab operibus & dilectione, ac per hoc neminem de suã justificatione posse certum esse.

Resp. Argumentum hoc planè est *ἀνανόλογον*. Nec enim, quia fides sine operibus non est, idcirco justificatio ab operibus pendebit, cum duo sint diversa enunciata, esse absq; operibus; & absq; operibus justificare. Neque dilectio perficit formam fidei, ut per dilectionem fides sit vera fides; verùm ea est fidei proprietas, ut Christo in Evangelij promissione apprehenso, sese exerat & exerceat per dilectionem, ex qua dilectione, tanquam effectu, agnoscitur & judicatur, fidem esse veram & vivam, sicut arbor bona arguitur ex fructibus bonis, neque hinc colligi potest, bonitatem arboris pendere à fructibus, etiamsi ex his de ea fiat judicium.

LXXV.

7. *De dictis Patrum.*

VII. Denique multa Patrum dicta coaceruant, sed *ἀσπόντως* planè, quia Patres illi loquuntur de fide Historicã, vel de externa fidei professione, quam illi negant sufficere ad salutem, cum possit separari à dilectione, quod ipsum & nos constanter asserimus.

MEMBRUM IV.

De absurdis & otiosis Scholasticorum questionibus, quas circa distinctionem informis & formatæ fidei excogitârunt.

LXXVI.

Theologiam Scholasticam spinis tricisque refertam esse, patet inter cætera ex hac etiam fidei distinctione barbarâ, circa quam multas intricatas & ad ædificationem Ecclesiæ planè nihil facientes quæstiones movere non sunt veriti. Nam error per naturam fertilis est: *ἑὸν λὸν ῥῆθ' ἔστω λῶς, πανθεδαπῶς δὲ κακόν.* Veritas quidem una, sed error multiformis est, ait Chrysostomus Homil. 3. in Epist. ad Rom. Videbimus illas spinas colophonis loco breviter, ut infelicitas & tenebræ priscorum temporum eò magis innotescant.

I. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 4. quærit: *Vtrum fides informis possit fieri formata & è converso?* Ubi talem ponit conclusionem: *Fides informis & formata unus & idem habitus est, his diversis nominibus appellatus ab ipsa charitate, quæ est illius forma.* Sed alij tenuerunt contrarium, dicentes, quòd alius sit habitus fidei formata & informis, & quòd adveniente fide formata tollatur fides informis; homine post fidem formatam peccante mortaliter, succedat alius habitus fidei informis, à Deo infusus. Movit hanc quæstionem ante Thomam Lombardus l. 3. Sent. dist. 23. E. ubi hæc verba: *Si verò quæritur, Vtrum illa informis qualitas, quæ malus Christianus universa credit, quæ bonus Christianus accedente charitate remaneat & fiat virtus, an ipsa eliminetur & alia qualitas succedat, quæ virtus sit? Vtrumlibet sine periculo dici potest. Mihi tamen videtur, quòd illa qualitas, quæ prius erat, remaneat & accessu charitatis virtus fiat.* Gregorius de Valentia proponit ea mysteria adhuc obscurius. Scribit enim T. 3. Disp. 1. quæst. 4. punct. 4. col. 431. *Ex fide certum esse, quòd eadem fides vera secundum speciem constare possit cum charitate & sine charitate: sed non certum esse, quòd etiam eadem numero, quanquam Theologi communiter ita sentiant.*

Quis verò non intelligit, has meras esse tricas spinasque Scholasticas? Ex Scripturis certum est, quòd fides salvifica magis consistat in actu, quàm in habitu; quòd justificet non prout qualitas est, sed prout Christi meritum apprehendit; & hæc fides tantum una est, formam constans unicam, ut proinde non sit opus multum disceptate de fide informi, an pereat accedente charitate, num verò maneat, aut in illam transeat? Deinde si nudum consideres assensum, ille sibi semper quoad *ἑστίαν* manet similis, idèque accedente fiducia & charitate non mutatur ejus essentia, ut propterea dici debeat fides quasi nova & formata. Imò sibi ipsis contradicere videntur Scholastici. Fidem distinguunt in formatam & informem, velut in duas species. Et nihilominus asserunt cum Thomâ, *fidem informem formatamque esse habitum numero unum ac eundem.* Quomodo quæso ea, quæ numero unum sunt, secundum speciem distinguunt & pro oppositis haberi possunt? At verò assensus sine charitate, qui Scholasticis est fides informis, & assensus cum charitate, numero non differunt sed idem sunt, si considerentur in uno subjecto, siquidem assensus sibi manet similis, nec mutatur ejus essentia per charitatis accessum. Quomodo igitur secundum speciem distinguunt & pro oppositis haberi possunt, ita quidem, ut assensus sine charitate fides informis, & assensus cum charitate, fides formata dici queat, cum utrobique unus & idem numero sit assensus habitusque?

An qui ne-
gat unum fi-
dei articulu-
m possit habere
fidem informem
de reliquis.

II. Item Thomas 2.2. quæst. 5. art. 3. disputat, *trum qui discredat* (hoc est non credit juxta elegantiam & Latinitatem Scholasticam) *unum articulum fidei, possit habere fidem informem de articulis?* Et respondet negativè quia quicumque non in omnibus inhereat doctrinæ Ecclesiæ, sicut infallibili & divinæ regulæ, ille non habeat habitum fidei, sed ea que sunt fidei alio modo tenet at quam per fidem, nempe per opinionem quandam secundum propriam voluntatem.

LXXX.

Verum non Ecclesia est regula doctrinæ Christianæ, uti præsupponit Thomas, sed potius Scriptura sacra, à quâ licet quis recedat in articulo uno ob pravum intellectum, potest tamen adhibere fidem in multis capitibus aliis. Nec enim video, cur error circa unum doctrinæ caput, tollat omnem fidei rationem circa reliqua. Et sequeretur, Apostolos errantes circa articulum de regno Christi, non credidisse verè, filium Dei venisse, in carnem, aut Mariam concepisse ex Spiritu Sancto. Est præterea & hoc observandum, quòd hæreticus errans in uno articulo, non ideò erret, quòd regulam fidei planè abjiciat, sed quia eandem ad opiniones suas præconceptas detorquet. Quando igitur aliis Christianæ religionis capitibus assentitur ideò, quia sic scriptum est in verbo Dei, certè hic assensus non est mera opinio, sed potius fides historica, quia quicquid creditur propter solius verbi divini auctoritatem, id non per opinionem, sed per fidem creditur. Absurda proinde est Thomæ conclusio, dicentis: *Impossibile est, fidem informem in eo manere, qui unum articulum fidei non credit, licet reliquos omnes veros esse confiteatur.*

LXXXI.

Num fides in-
formis ca-
dat in da-
mones?

III. Est & hoc nobile apud Scholasticos problema: *Num fides informis cadat in Demones?* Plerique hinc videntur dubii, & quidem negare non audent Diabolos credere, cum scriptum sit expressè Jac. 2. 6. 19. Etiam demones credunt & contremiscunt: verentur tamen affirmare, quòd habeant fidem informem, quæ ejusdem sit essentiæ cum hominum fide, eò quòd Diaboli credant non voluntate liberâ, sed coacti & invitati. Ita enim Thomas 2.2. quæst. 5. art. 2. *Est in demonibus coacta quedam fides, quæ ex naturali suâ perspicuitate & signorum evidentiâ, doctrinam Ecclesiæ à Deo profertam esse credere coguntur.* Bonaventura in 1.3. dist. 23. art. 2. quæst. 3. fol. 300. a. *Demones credunt coacti, & quidem cum quodam murmure.* Bellarminus l. 1. de Just. c. 15. col. 983. D. *Differunt fides hominum malorum & demonum, quia hominum fides libera est, captivante nimirum piâ voluntate intellectum in obsequium Christi: fides verò demonum est coacta & extorta ab ipsâ rerum evidentiâ.* Quod insinuabit idem Jacobus, dicens, *Demones credunt & contremiscunt. Nos enim non credimus contremiscentes, id est, invitati & coacti, sed spontè ac libenter.*

LXXXII.

Verum 1. distinctio hæc inter fidem demonum & hominum sensu Scholastico sumpta, non est in Scripturis fundata. Quin potius Jacobus disertè innuit, generalem aut historicam fidem, quam illi vocant infor-

mem.

in eum, eodem modo in daemones eadere, eum inquit, c. 2. v. 19. *Tu credis, quanta-
ntam est Deus? Bene facis: Et daemones credunt & contremiscunt.*

2. Quaecunque ex revelatione verbi sciuntur, & propter illam praecipue pro veris habentur, ea certe pariunt fidem generalem & historicam, qualis est in hominibus. Sed multa mysteria, ut de incarnatione Christi, de resurrectione mortuorum & extremo iudicio &c. sciuntur à Diabolis ex revelatione verbi, & propter illam pro veris habentur. Quare ista omnia patiunt in Diabolis fidem generalem & historicam, qualis est in hominibus.

3. Unde mox sequitur, falsò dici Diabolos credere, *vel* ex naturali perspicacitate, quod affirmat Thomas, *vel* planè invitos & coactos, quod asserit Bellarminus. Quomodo enim mysterium incarnationis credunt ex naturali perspicacitate? Annon illud ex solâ revelatione verbi primùm cognoverunt? Et quomodo inviti coactique credent illa, quæ ex naturali perspicacitate vera esse intelligunt? Mens enim naturæ intelligentis per se fertur ad assensum omnis veritatis, & ad illum cogi haud potest. Si ergò Daemones veritatem perspicuè vident, certè non inviti, sed liberè; non coacti, sed spontè, ex inclinatione mentis naturali, illam apprehendunt & credunt. Hoc quidem concedimus, nonnulla quæ credunt, displicere daemonibus & ingrata esse: hinc tamen nec coactionem fidei, multò minus absentiam historicæ fidei inferre licet. Cùm impii credunt, restare extremum iudicium; tum etiam pavent, contremiscunt, & mallet nullum planè institui, quò scelera manerent impunita: sed num hinc rectè infertur, in impio esse fidem invitam & coactam, ideoque non propriè fidem historicam?

LXXXIII.

Rationes hæ moverunt Durandum, ut statueret contra Thomam in 3. dist. 23. quæst. 9. in damnatis manere fidem infusam, atque sic etiam in daemonibus, posito, quòd habuerint illâ aliquândo ante lapsum. Eius argumenta solvere conatur Gregorius de Valentia T. 3. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. col. 450. Sed non satisfacere ipsum, Lector facile animadvertet. Imò & ante Durandum fidem daemonum pro fide informi habuit Lombardus, quia scribit l. 3. dist. 23. lit. D. *Fides, quam daemones & falsi Christiani habent, qualitas mentis est, sed INFORMIS, quia sine charitate est.*

LXXXIV.

IV. Disceptant porrò, *Utrum fides informis sit donum Dei?* Ad quam quæstionem ita respondet Thomas 2. 2. quæst. 6. art. 2. *Cùm informitas fidei ad rationem ipsius fidei non pertineat, ideo illud est causa fidei informis, quod causa fidei simpliciter dicta: hoc autem est Deus, ac proinde fides informis donum Dei est, quemadmodum fides formata.* Idem affirmat Gregorius de Valentia T. 3. disp. 1. quæst. 6. punct. 2. & mentem Thomæ sic declarat: *Sensus hujus nostræ assertionis non est, quòd fides informis sit donum Dei formaliter, quatenus informis est: sed materialiter, hoc est, ipsa fides, quæ est informis; quoniam informitas illa non est à Deo, cùm sit quidam defectus. Neq; hoc obstat, quò minus verè dicamus, absolutè fidem informem esse donum Dei. Nam informitas illa est extrinseca fidei.*

An fides informis sit donum Dei.

Sat spinarum in his responsis delitescere quivis animadvertit. Nos hinc colligimus, quod fides informis malè sic denominatur. Si enim informitas ad ejus rationem non pertinet, cur propter eam fides absolutè informis dicitur? Quicquid enim ad rationem rei & speciei non spectat, id peculiarem speciem verè constituere nequit.

Bonaventura in l. 3. Sent. dist. 23. art. 2. quæst. 2. paulò aliter ad quæstionè illà respondet, ita scribens fol. 298. a. Si loquamur de fide, quantū ad formale, vide licet quantū ad illud, quod facit assentire, dicendum est, quod quadā fides informis est per acquisitionè. Nam quidā assentiunt veritati auditæ & moti humanà persuasione, utpote propter amorem & reverentiam dicentis &c. Quidā autè assentiunt veritati fidei propter divinam illustrationem, sicut illi, qui innituntur primæ veritati super omnia, & propter se, sicut multi Christiani, qui charitatè non habent & in talibus fides est per infusionè. Paulò post: Concedendū ergò, fidem informè, secundum quod virtus est, esse donum divinitus collatum & habitum infusum. Hisce verbis Bonaventura non nihil recedit à Thomà; & errat, asserendo quandam dari fidem, quæ oriatur ex humanà persuasione & dici queat fides acquisita. Nam veræ fidei perpetuum correlatum est verbum, undè qui non assentitur propter auctoritatem verbi, sed ob persuasiones humanas, is non putandus est habere fidem, sed tantum aliquam habet opinionem. Ut enim argumenta *ἁπλοῦς* scientiam, & probabilia opinionem, sic non nisi Scripturæ testimonia veram fidem tum gignunt, tum conservant.

Conclusio.

Verum satis nugarum percepimus, satis spinarum contrectavimus: & si de fide informi plura essent afferenda, deformari potius & planè informem reddi, quàm exornari hanc disputationem non immeritò cense-ri posset. Quare finem hic facimus, & Tibi, ò aterne ductor doctorq; fidei devotum gloriæ hymnum canimus, quod tenebras illas luce verbi per ministerium LUTHERI dispuleris, & jam ante centum annos diu exoptatum sacra Reformationis opus clementer auspiciatus fueris: Conserva nobis hoc fidei jubar, confirma fideles tuos, conforta Evangelij defensores, & potenti virtute tuâ effice, ut adpropinquantem Jubilæam festivitatem, ad nominis tui honorem, in fictitij tui vicarij confusione, devoti sine vitijs, quieti sine turbis, lati sine lachrymis, Jani sine morbis, in congregatione sanctorū celebremus, Carmenq; Apocalypticū hilari corde & ore intonemus: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas CHRISTI ejus; Nunc timete DOMINUM, & date illi honorem. Magna & mirabilia sunt opera tua, DOMINE DEUS omnipotens! Tibi sit laus & gloria, tibi sit victoria & triumphus in secula seculorum,

A M E N.



06 A 996

ULB Halle

3

004 544 676



V077





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

THEOLOGICA

CANTIS

PRIMA ET

TERCIA.

*Trinitatis in inclytâ
collationem
posita.*

MEISNERO SS.

Professore Publico,

PRINTE

HEIXELBERGERO

Facultatis Philoso-

phico.

*tenb. in Auditorio ma-
matutinis.*

BERGÆ

JANNES GORMAN,

MDC. XVII.

